

2

❧ **F**ratris **D**ominici  
**S**oto, **S**egouienfis, **T**heologi,  
ordinis **P**rædicatorum, **D**e cauendo  
**I**uramentorum abufu, ad lau-  
dem diuini nominis  
inftitutio.



**S**ALMANTICAE,  
Excudebat Andreas de Portonarijs.

**M. D. L I.**







✿ M A G N O

P H I L I P P O C A -

roli. V. Cæfaris Maximi

filio, Hispaniarum Principi,  
Frater Dominicus Soto  
felicitatem.



V M M A

sit laus optimo deo  
serenissime Prin-  
ceps, q̄ in his Cæsa-  
reis, tibiq̄ subinde

hæreditariis regnis attētioribus ocu-  
lis inuideri coeptum est, acerbiusq̄  
vindicare scelus hoc polluendi vanis  
iurationibus gloriosum eius nomen:  
quod sanè scelus pientissimo eius nu-  
mini, vt maximè iniurium, ita est in-  
uisissimum. Hanc inquã ob rem (vt

A 2 tua



tuæ iam innotuit Celsitudini ) viri  
 quipiam religiosi, quorum sanctus  
 zelus plurimi habendus est, omniq;  
 favore prosequendus, familias quas-  
 dam, quas fraternitates vocant, exco-  
 gitarunt, quibus institutum, studiumq;  
 sit, rabidã hanc pestem abigere, Chri-  
 stianoq; gregi cauere, & quam maxi-  
 mē per Dei opem fieri potuerit, ex-  
 tinguere. Horum ego allectus exem-  
 plo, dum hac nuperrimē lapsa qua-  
 dragesima in hac sancta Ecclesia Sal-  
 mantina ad populum concionarer, in  
 animũ induxi, de penuria ingenij mei  
 meum quoq; pauperem numum in hoc  
 publicum subsidium erogare. Neq;  
 vero verbum in terram cecidit ma-  
 lam. Solet enim ciuitas hæc, vt quæ  
 est vomere Euangelico benè culta,  
 huius-



huiusmodi sancta semina, & excipere promptè, & diuino influxu benigne reddere. Quocirca, non solum familia statim creatur & ordo, qui religiosum negocium hoc omni cura susciperet, verum concursus ad me à multis est, qui mecum expostulabant, cur quæ de suggesto dixeram, non eadem prelo demandarem, quo possent latius patefcere. Nam quæliacunq; fuerant, tamè putabant fructum allatura non poenitendum.

Annui equidem lubenter. Imò quia ij, quibus Latinè datum est legere, rarissimi sunt: quos verò contagio hæc indies contaminat, quibusq; adeò operæ precium est hæc relegere, pleriq; omnes, duplatum exemplar, Latinum scilicet & Hispanum, veluti

A 3      delibe-



deliberationem, quam in causa pauperum ad tuam Celsitudinem iam pridem missimus, eodem propemodum exemplo, edendum duxi. At qui etsi minimè ignorem, minutius hoc esse munusculum, quam quod Celsitudini tuæ dicandum foret, tamen ut negotium, quod ad diuinum honorem tanti refert, regia auctoritate communiem, quando Cæsareum nomen, præ eius Maiestæte, huc accersere cunctatus sum, tuum inclyte Princeps non sum veritus implorare, cui nimirum meas iam diu chartas nuncupare cœpi. Nemi quippe dubium est, quin si Claritudo tua huic negotio quidpiam auctoritatis admouerit, venturum usu sit, ut, hac extirpata pestifera peie-



ra peierandi consuetudine, honor  
maximo Deo de tanto obsequio sit  
amplissimè referendus. Suscipiat  
ergo Celsitudo tua clarissime Prin-  
ceps rationem hanc exaltandi diui-  
num nomen, vt hac possit noua  
gemma diadema tuum effulgere.

Nam præterquam, quod diuinę ma-  
iestati tanta obligatus es fide, ha-  
bes in terris alteram humanam, à  
qua iure optimo potes, ac subinde  
maximo debes merito excelsam hanc  
virtutem aborrendi perituria hære-  
ditare. Quæ quidem virtus Cæ-  
sareæ Maiestati in eo est honore  
& precio, quo eam habere debent  
æstimareq; ingenui & nobiles, at-  
que adeò magnates, & præ omni-  
bus longe Principes & Reges, ad

A 4 honore



honorem illius & gloriam, per  
quem Reges regnant, & le-  
gum conditores iusta  
decernunt.





9  
❧ **F**ratris **D**ominici

**S**oto, Segouienfis, theologi,

ordinis Prædicatorum, Decauendo

iuramentorum abufu, ad lau-

dem diuini nominis

inftitutio.

❧ **C**APVT **P**RI MV M,

*Quo, ceu in Prologo, ratio ordoq; dicendo-*

*rum proponitur.*



**B**ENE AC DI-

uine Rex & Propheta

Dauid eo Pfalmo, quo

*Pfal. 112.*

cultores Domini admo-

net laudare Dominũ,

continuo subnectit, vt

laudent pariter & no-

men Domini. Laudate enim, inquit, pueri

Dominum: laudate nomen Domini. Nam

cũ nomen, fit illud, per quod res significa-

tur, eiusq; subinde fit quali effigies & ima-

go eadẽ laus, & rei debetur, & nomini. Qua-

propter, honorificè pronunciare, & reuerẽ-

ter audire nomen Domini, hoc ipfum est,

laudare Dominum. Adde, q̄ immensa Dei

**A** 5 bonitas



bonitas, cui omnis debetur laus, dulcisonū  
 cantuq; iucundum facit nomen eius unde  
*Psal. 134.* alibi idem psaltes. Laudate, inquit, dominū,  
 quia bonus dominus: psallite nomini eius,  
 quoniam suaue. Neq; verò solū tam pro-  
 latu, quàm auditu suauiſſimum est nomen  
 Dei, verū & super omne vnguentum odo-  
 riferum. Nam veluti oleum effusum sentie-  
 bat illud sponsa. Rursus quia quantum no-  
 mine Dei significatur, tantum, & eo longe  
 cumulatius existit in re ipsa, fit, vt (quemad-  
 modum idem ait alibi David) secundū no-  
 men eius, ita fit & laus eius. Hoc est, sicuti  
 nomen Dei, immensum pelagus bonitatis  
 designat, sic & laus illi infinita debetur. Qua  
 propter quo Deū homines expressiori no-  
 tione attingunt, eo maiora illi tribuunt lau-  
 dum præconia. Et ideo Christiani, vt cū cer-  
 tissimè cognoscimus, ita verissimè colimus.  
*Philip. 2.* Quam utiq; ob rem, vbi Apostolus exalta-  
 tionem Christi ob inenarrabilē eius humi-  
 litatē memorat, protinus & celebratissimi  
 eius nominis meminit. Propter quod enim  
 inquit, exaltauit illum Deus, & dedit illi no-  
 men, quod est super omne nomē. Hęc haud  
 ineptè meditatus mihi videor, iuramentorū  
 causam ingrediens: nempe vt primo statim  
 aspectu perspectum omnibus sit, quanta af-  
 finitate



finitate veneratio diuini nominis cum eius amore & cultu sit cōiuncta. Vnde præiactō præcepto primo, quod fundamentum est omnium, de fide & cultura, quæ vni debetur Deo, illico apponitur: secundum, ne nomen eius vanè vsurpemus. Peruersitas ergo hæc Exod. 20. peierandi, nomineq; abutēdi diuino aduersa est & contraria secundo præceptorū prioris tabulæ diuinæ legis, hoc est, eorū quæ directè, & quod aiunt, immediatè ad diuinum attinēt amorē & cultū. Nam cū maximū illud legis mandatū in charitatē Dei, & eam quæ est in proximū bipertitū sit, in duabus tabulis sculptā tradidit Deus legē suā Moy Exo. 34. si: quarū prior amorē Deo debitū exprimebat: posterior verò, beneuolentiā proximi. Et sunt in priori ordine tria præcepta: quorū primo iubemur firmā vni vero Deo seruare fidē, eiq; soli, cunctis deorū figmentis ablegatis, honorē & cultū exhibere. Secundum verò ad reuerentiā eius attinet, quo cauetur ne sui nominis magestatē inanibus iuramentis inquinemus. Quibus tertium de sanctificandis festis adiectū est: Hanc igitur supremā sui noīs reuerentiā nobis Christus eo vsq; cōmendauit, vt ab oī nos iurationis Matth. 5. forma absterreret. Ego enim, inquit, dico vobis, nō iurare omnino. Vbi & ego, & dico, & om-



& omnino, insignē præ se emphasin ferunt. Ego inquit ipsissimus Deus, dico, quod est imperandi verbū, non iurare omnino: neq; per coelum, neq; per terram &c. Quam subinde exaggerationem expressit nobis & eius apostolus Iacôbus. Nam quasi hoc esset fundamentum & basis Christianismi, sic ait.

*Iacob .5.* Ante omnia fratres mei nolite iurare: neque per coelum, neq; per terrā, neq; aliud quodcunq; iuramentum. Ac si dixisset. Hoc primum omnium stabilimentum est & specimen Christiani, si procul ab eius ore & animo abfuerit ius iurandum. Præmiserat enim admonens.

*Iacob .1.* Si quis putat se religiosum esse, non refrēnans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. At nō obstante quòd tantū religionis collocauerit apostolus in infrenanda lingua, tantūq; absurditatis & criminis in abusu diuini nominis, ac si Christ⁹ nobis omnino iurare iussisset, ita nos linguæ facilitas in nefariam iurandi ac peierandi consuetudinem præcipitat. Vsq; adeò, vt veluti mādati Christi oblitū iam Christiani, ius sibi possessionis videātur acquisiuisse contra Deum: vt ea prope modū facilitate iuramenta disseminēt, qua verba. Atqui si præceptio hæc à iure humano emanasset, vsu iam contrario fuisset ener-



uata, vt eius præuaricatio exilius esset piaculum, verùm cùm diuina sit, quo frequentior est consuetudo, eo scelestius est crimē. Quapropter quemadmodum conflato in ciuitate incendio cuncti ciues occurrunt, & dum tigris aut leo per urbem cædibus deseuiret, obuiam beluæ vniuersi prodirent, ita extinguendæ huic improbæ pesti vnusquisq; tenetur occurrere. August. enim in sermone super verbis citatis Iacobi. Videtis inquit, quàm ista detestanda sit belua (nimirum iurandi abusus) & rebus humanis exterminanda? Qua de causa Plato, solo naturæ lumine ductus, lib. de legibus. xj. sanctum ducebat, vt quemcunq; ciues iurantem per Deos immortales audirent, in ipsum irruerent, fustibusq; & pugnis nefandum sacrilegium vlciscerentur: & qui secus facerent, rei ipsi legis haberentur. Et tamen illi non erant, nisi Deorum portēta. Hanc igitur ob rem huic calamitosæ pestilentia medēdæ, quæ tam facile in Christianismum irrepsit, tamq; latè serpere pergit, ac nostram religionem in vilipendium diuini nominis foedissimè, atque exiciosissimè contaminat, hoc, ceu medicamen, ad Dei laudem confecimus. Vtinam aliquid eius auxilio perficiamus. Nostrum enim tantum est, seu plantare, seu rigare:

*August.*

*Belua.*

*Plato de leg. li. xi.*

*1. Cor. 3.*

gare:



*Distribu-  
tio operis.*

gare: Dei autem (vt apostolicis vtamur ver-  
bis) incrementum dare. Haud tamē fert ani-  
mus vniuersa, quæ de iurandi iure in scho-  
lis pertranctantur à primis radicibus dedu-  
cere: puta iuramentorum vincula, & dispen-  
sationem, & casus quibus quisq; potest ad  
iurandum compelli, quibúsvē licet iura-  
mentum excusare. Hæc enim in relectio-  
ne nostra de ratione tegendi & detegēdi se-  
cretum abundè disputauimus: quo hinc le-  
ctorē quādoq; remitemus. Sed ea hic peni-  
tus diuino numine subnixi differem⁹, q̄ ad  
arcendum contagium hoc sunt necessaria.  
Et quoniam ordo & œconomia, veluti sol  
existimatur, qui lucē affert orationi, in tres  
præcipuas partes præsentem tractatum di-  
tribuendum duximus. Prima est, veluti  
fundamentum operis, in qua tria præstitui-  
mus. Nempe vtrum iuratio, officiū aliquan-  
do sit, & sub quo genere virtutis cōprehen-  
datur. Mox, quot sunt formæ, modi, & gra-  
dus iurandi: & quorum verborum vsus, ci-  
tra iuramentum licitus sit. Postremò quot  
nam sint, & quales iuramenti comites, qui-  
bus eius honestas constituitur. In secunda  
parte grauitatem & enormitatem improbi  
sceleris peierandi, periculosaq; adeò consue-  
tudinis iurandi explicuimus. Ac demum in  
tertia



tertia remedia adduximus, quibus possibile, per Dei gratiam, est absurdum hunc iurandi morem deleri, & à Christiana republica eliminari.

C A P. II. *Quo virtus iuramenti diffinitur, atq; in suo genere constituitur.*



**P**RIMUM punctum, in expositione illius loci positum est, quem iam proximè ex Matthæo citauimus. Apparet enim Euangeliū in superficie pugnare cū

antiqua lege: id quod ignarum lectorem, dubium, anxiumq; habere potest. Extat enim in Deutero. diuina hæc præceptio. *Deuter. 6*

Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruias, ac per nomen illius iurabis. Vbi vel iussum, vel permissum est iurandum per Dei nomen. Contrà verò videtur Christus *Matth. 5.*

in suo illo celeberrimo sermone in monte inter leges alias, quas orbi illic posuit, vetustum illud mandatum retractasse & antiquasse. Ait namque, Audistis quia dictum est antiquis. Nō periurabis (scriptum enim est in Leuitico. Non periurabis in nomine

*Leuit. 19.*

meo,



*Iuramenti  
diffini-  
tio.*

meo, neq; pollues nomē Dei tui: ego Domi-  
nus) reddes autem altissimo iuramenta tua  
(hanc quippe sententiā faciunt verba Deute.  
Per nomē illius iurabis) ego autem dico vo-  
bis, non iurare omnino: neque per coelum,  
quia thronus Dei est: neq; per terram, quia  
scabellum est pedum eius: neq; per Hiero-  
solymam, quia ciuitas est Regis magni: neq;  
per caput tuum iurabis, quia non potes v-  
num capillum album facere, aut nigrum.  
Sit autem sermo vester, est est, non non:  
quod autem his abundātius est, à malo est.  
Ecce vbi (si sonum tantum verborum au-  
dias) non expositum solū, aut limitatum ap-  
paret priscum illud præceptum, verum ab-  
rogatum prorsum ac euangelica lege exclu-  
sum. Primum omnium ad aperiendum sen-  
sum dominicæ huius sententiæ supponen-  
da nobis est iuramenti diffinitio. Est enim  
iurare, Deum in testem citare: iuxta verbū  
Augustini in citato sermone de verbis Iacô-  
bi. Quid est, per Deum, nisi testis est Deus?  
Ex quo verbo elicatur, quòd iuramentum  
sit affirmatio, per diuinam attestationem  
confirmata. Affirmatio inquam, aut nega-  
tio. Nam quod quis negat, id falsum esse af-  
firmat. Atq; appellatione Dei, diuina quoq;  
cōcipito, hoc est creaturas in ipsum relatas.  
Etenim



Etenim qui per creaturas iurat, numen aliquod illic agnoscit, siue falsum, vt idolatræ, siue verum, vt orthodoxi, qui Deum in creaturis existere profitemur. Vnde iusiurādū, ait in de officiis Cicero, est affirmatio religiosa. Sed eleganter Aristot. in Rhetorica ad Alexandrum. Iusiurandum, inquit, est, cum diuina veneratione dictio, probationis expers. Dictionis nomine affirmationem complexus est & negationē. Adiecit autem, probationis expers, vt naturam penitus iusiurandi patefaceret: quæ est, vt citra necessitatem, nempe vbi res aliter probari nō potest, nunquā fiat. Ob idq; iurare (vt inibi author est Aug.) à iure dicitur. Est enim iurare per Deum, nihil aliud, quàm ius veritatis Deo reddere: quippe cui, veluti ipsissimæ veritati, propriè competit dictorum omnium & conuētorum veritatem suo testimonio constabilire. Aut si mauis, iusiurandum (vt nomen ipsum sonat) eo à iure deriuatur, quòd id quod iuratur, pro lege habendum est, & veluti ius, sic est sanctè seruandum. Vnde iurare Deum, idem est, quod, Deum pro iure veritatis cōstituere. Hac igitur iurisiurandi descriptione præfixa, extruitur prima conclusio, quæ in confesso est omnibus. Iusiurandum potest nonnūquam officium esse,

*Arist. li.*

*Rhet. ad*

*Ale. cap.*

*de iure*

*iur.*

*Iusiuran*

*dū, à iu-*

*re.*

*Conclu-*

*sio. I.*

B non



Proba-  
tio. 1.

Deute. 6.

Hieron.

22. q. 1.

can.

∴ Iusiuran

dū nōnū-

non modo licitum & honestum, verum & religiosum ac laude dignum. Conclusio hæc primūm probatur testimonio illo Deutoro nomij. Per nomen Dei iurabis. Connumera tur enim inter moralia præcepta: ob idq; non est per legem gratiæ abolitum. Gerit fa teor, nō tam præceptionis, quàm permissio nis informationisq; imaginem. ~~Ac si dicere tur. Ac si diceretur. Si te fortè pia necessitas iurare cōpulerit, caue per falsos Deos iures, sed hanc reuerentiam vero referens, per no men illius iurabis. Erat quippe gens illa in idolatriam procliuis. Quanuis quod super Matthæum ait Hierony. & refertur. 22. q. 1. can. Considera: videlicet, iurare per Deum, concessum esse illi populo, non quòd rectè hoc facerēt, sed quod melius esset per Deū, quàm per idola iurare, non equidem plenè intelligo. Nam iurare sine veritate & iustitia & iudicio, nunquam fieri potuit citra cul pam, & ideo in hoc sensu nūquam fuit per missum: vbiuis autem illi comites adsunt, li citum est iurare. Nisi intellexit Hiero. quod citra casum, quo præceptum viget iurandi, melius est nunquam iurare, sed tunc tamen, iurare, non nunquam permittitur tanquam minus bonum. Attamen inficias ire nemo potest, quin vsu sæpenumero veniat iurādi præce-~~

præce-



præceptum: utpote dum potestas publica iure & more exigere à ciue potest iuramentū ad detegenda, coercendaq; mala, quæ sunt rei publicæ in perniciem. Quin verò quandoq; non requisitus teneretur vir bonus ius iurandum offerre: vel ad liberandum innocentem à morte, vel pro alio magno bono publico. Et tunc usq; adeò bonū est iurare, ut non iurare, delictum sit. Atq; illic præcipuè verum habet psalmus ille. Laudabūtur omnes qui iurant in eo, nimirū in Deo. Secundo confirmatur eadem conclusio exemplis Dei & sanctorū. Iuravit enim Deus per semetipsum Abrahæ (ut habetur in Genes.) quod ex eius femine missurus esset omnibus gentibus benedictionem. Et aduravit postmodum Abraham famulum suū, dum eum Nefopotamiam legavit quæsitū uxorem filio suo. Et illo iureiurando viuit Dominus: vti sunt crebrò David & Salomon & reliqui patriarchæ. Nam (ut est apud Hieremiam) illud iurandi exemplum concessum erat tunc temporis. Atqui & sub lege evangelica ostensus est Ioanni in Apoc. Angelus iurare per viventē in secula seculorū. Et Paulus variè quoq; iurasse comperitur. ut ad Roma. Testis est mihi Deus. Et ad Gal. Ecce coram Deo quia non mentior. Tertiò deniq;

*quæ præceptū est.*

*Cōfirmatio. 2.*

*Gen. 22.*

*Hiere. 4*

*Apoc. 10.*

*Roma. 1.*

*Galat. 1.*

*Cōfirmatio. 3.*



veritas huius conclusionis patescit ex suis proprijs causis, quæ sunt duæ: altera sumitur de ratione finis. Est quidem Iuramentũ *Hebr. 6.* (vt ait ad Hebræ. Paul.) omnis cõtrouersia finis ad confirmationem. Vnde iurisconsultus in capite tituli de iure iurando. ff. Maximum, inquit, remedium expediendarum litium in vsum venit iusiurandi religio. Et li. *ff. de iure iuran.* Offic. Cice. Nullum, inquit, vinculũ ad stringendum fidem iureiurando maiores arctius esse voluerunt. Concessit ergo nobis Deus iuramenta ob nimiam, qua in nos est charitate: nempè vt litibus omnibus & discordijs iureiurando pacatis ac sopitis, in pace & tranquillitate ageremus vitam. Qua de causa nefas est post præstitum iuramentum firmitus disquirere testimoniũ: irrogatur enim iniuria Deo. Altera causa quæ iuramentum honestat, est honor, qui Deo à iurante deferatur, dum illum confitetur, primum esse fontem & caput totius veritatis. Itaq; sicuti reliquas humanarum scientiarum veritates per sua prima principia Sapientes demõstrant *Physi. I.* (nam authore Aristot. tunc vnamquamq; rem scire arbitramur, dum principia prima vsq; ad elementa cognoscimus,) ita dubia omnia rerum contingentium, quæ aliter cõstare non possunt, per diuinum testimoniũ, quasi



quasi per primum, supremumque veritatis principium & fontem, iure & merito confirmamus.

Atqui hinc consequens fit secunda conclusio. Virtus iurandi, vbi legitima est, non quouis ordine inferiori habetur, sed sub genere continetur religionis: atq; ad id ipsum secundum præceptum prioris tabulæ attinet, quod periuriis violatur. Nam vbi cauetur vsurpatio diuini nominis in vanum, infinuatur quòd si legitima necessitate diuinum imploretur testimonium, nihil aliud quam religio sit, & diuina veneratio. Vnde & iure etiam ciuili iurandi officium, religio nuncupatur, vt iam nuper ex ff. citatum est. Et Imperator. C. de iur. iurã. Iurisiurandi, inquit, contempta religio satis Deum habet ultorem. Ex quo sequitur quòd soli Deo iurandi cultus est exhibendus. Vnde super Matthæum Hierony. Qui iurat, inquit, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat. Quavtiq; de causa conquestum legimus in Hieremia Deum de filiis Israel, quòd eum dereliquissent, iurassentq; in his, qui non erant dii. Et loco citato Deutono. prius habetur Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruias: & protinus, vt timor ille & reuerentia exprimat, subditur: per nomē illius iurabis.

Conclusio. 2.

C. de iure iur.

Hieron.

Hiere. 5.

Deute. 6.



*Aristo. 1. Met. ca. 3.* rabis. Id quod ait Christus. Reddes autem altissimo iuramenta tua. Quin verò *Arist. 1. Metaphys.* Res inquit honorabilissima est iuramētum: cuius ideo venerationem nunquam antiqui tribuerunt, nisi illis quos pro deis colebant.

*Duplex virtutis genus.* Habemus ergo, iurandi officium, virtutē esse religionis. Sed est nobis confestim discernendum duplex virtutum genus. Aliæ quippe sunt, quæ genere suo & obiecto perfecte sunt ipsæ virtutes, vt fides, charitas, iustitia, & id genus reliquæ. Quæ proinde nihil aliud desiderant, vt bene fiant, quàm vt nulla illis apponatur circumstantia praua. Aliæ verò sunt, quæ non sunt vsq; adeò virtutes, nisi propter necessitatem. Vt si exempli gratia, poenitentiam huc proferamus. Hæc namque in statu innocentia non fuisset virtus, sed ob necessitatem peccati ingressa est hunc ordinem. Adhibeamus ergo de iuramento conclusionem tertiam, quæ, ceu dicendorum basis, habenda præ oculis est. Iuramentum, etiam id quod verum est, si omni illud necessitate nudaueris, non est genere suo virtus, ac ideo neque bonum perfecte appetendum: at per necessitatem fit honestum. Atqui hunc in modum declarandus est. *S. Thom. 22. q. 89.* vbi ait, iuramentum



tum secundum se esse licitum & honestum. Intelligit nanq; secundum indiuiduos comites suæ honestatis. Huius nos conclusionis admonuit Christus redemptor noster loco supra citato, dicens. Sit sermo vester, est est, non non: quod autem his abundantius est, à malo est. Enimvero si status humanæ innocentiae perdurasset, nunquam concessum fuisset hominibus, iurare: eò quòd nulla occurrisset tunc iurandi necessitas: sed simplici verbo præstarent sibi homines mutuo certam fidem. Ad hanc nos ergo sinceritatem reuocare fatagens Christus, ait, Sit sermo vester, est est, non non. At verò inter alias plagas, quas nobis versutus ille serpens impexit (qui vt habetur Ioannis. 8.) Mendax Ioan. 8. semper fuit, & pater mendacij, hæc fuit vna insignis, quòd authoritas hominum vsque adeò fuit exinde læsa, vt non facilè homines digni sint, quibus adhibeatur fides, clamante Psalmista. Ego dixi in excessu meo, ois Psal. 15. homo mendax. Atqui ab hac læsione alterum subinde accepimus incredulitatis vulnus: nempe quòd difficulter quæ nos latent credimus. Ob hanc ergo necessitatem indulta nobis diuinitus est iuris iurandi facultas. Est enim homo, animal, teste Aristo. suo pte 1. Politic. ingenio sociabile, eò quòd sibi solus nõ sufficit,



*Libr. I. de  
offi.*

*Mat. 5.*

*22. q. 1.*

*ca. Nō est*

ficit, sed alij aliorum indigent subsidio, & ve-  
luti membra vnius corporis, ita homines,  
non nisi vicariis operis sibi sufficiunt. Et cū  
(vt ait Cice. fides, id est, dictorum conuen-  
torumq; constantia & veritas, fundamen-  
tum sit humanæ societatis: hac si quidem  
de medio sublata, conuictus humanus fun-  
ditus deperiret: prouidentia Dei fuit, vt huic  
per peccatum languidæ nostræ fidei robur  
testimonij sui appelleret. Nam & propter  
nostram cōsolationem, licet fallere ipse non  
possit, iurat nihilominus nobis. Et per hæc  
patefit sensus subiuncti verbi apud Mat-  
thæum. Quod his abundantius est à malo  
est. Non enim ait, malum est, quasi adhibi-  
tum iuramentum, iniquitas semper fit. Sed  
ait. A malo est, id est, à mala causa. Et quan-  
uis August. super epistolam ad Gala. (vt ha-  
betur. 22. q. 1. can. Non est) videatur ~~infinua-~~  
~~tur~~ infinuare, quod sit à malo, non iurantis,  
sed increduli, petentis iuramentum, haud  
tamen existimandum est, eum qui iuramen-  
tum ab alio exoptulat, vbique peccare: sed  
dicitur hoc prouenire à malo: quia descen-  
dit à pœna nobis per peccatum originale  
inflicta: inde scilicet quòd humana autho-  
ritate infracta, increduli facti sumus, vt ipse  
idem August. exponit in de sermone domi-  
ni



ni in monte: & allegatur eadem. q. can. Ita er 22. q. 1.  
go. Vnde & Innocen. tertius eandem expo can. Ita  
sitionem desumpsit, extrà de iur. iuran. can. ergo.  
Et si Christus. Vbi & hanc præterea tertiam Extra de  
nostram concusionem irroborat August. iure iur.  
nimirum quod non sit quasi per se bonum, can. Etsi  
appetendum iuramentum: sed quòd sola Christ<sup>o</sup>.  
necessitas, quasi vi, trahere nos debet ad iu-  
randum. Qui enim, inquit, intelligit, non in  
bonis, sed in necessariis iurationem haben-  
dam, refrænât se quantum potest, vt non ea  
vtatur, nisi necessitas cogat.

C A P. I I I. Quo exponitur euangelium,  
qua parte supra positæ conclusio-  
nibus videtur aduersum.



Estat igitur ad senten-  
tiam Christi responde-  
re, quæ conclusiones su-  
perioris captis auersa-  
re videtur. Ego autē di-  
co vobis non iurare om-  
nino: neq; per cœlum,  
neque per terram &c. Et quidem diuus Hie Hieron.  
rony. facilè se inde dissoluit, dicens non pro-  
hibuisse illic Christum, iurare per Deum,  
sed tantùm per creaturas. In eandemq; sen-  
B 5 tentiã



*De iure* tētam subscribit Inno. de iur. iurā. can. Et si  
*iur. can.* Christus. Contrariam verò approbat Aug.  
*Etsi Chri* &.22.q. 89. sanctus Thomas, & pleriq; do-  
*stus.* etorum. Et, nisi meum me seducit iudicium,

*Iurare* per Deum, siue per creaturas. Etenim iura-  
*per crea.* re per creaturas, bifariam cōtingit, vno mo-  
*duplici-* do constituendo in illis iuramenti finem.  
*ter.* exhibendoq; illis reuerentiam, Deo debi-  
 tam: quod species quædam est idololatriæ:  
 & manifestaria blasphemia, quantuncunq;  
 iuratio, vera fit. Altero modo referēdo crea-  
 turas in creatorem, cuius numen in illis exi-  
 stit, qui mos Christianis est iurandi per crea-  
 turas. Hoc enim licitum est quo casu per  
 Deum iurare licet, vt per sanctos & euan-  
 gelia, & templa: atque adeò illicitum, quan-  
 do neq; licitum est iurare per Deum. Atqui  
 euidentis est, quòd Christus redemptor no-  
 ster euangelicam familiam cohibendam il-  
 lic duxit, nō solūm ab illa idololatræ iura-  
 tione, verū ab omni quæ fit per creaturas.  
 Nam cū ius antiquum citauerit, manife-  
 stum nobis fecit, quod volebat eam nobis  
 iurationem quadantenus interdiceret, quæ  
 concessa erat antiquis: illa autem ethnica  
 nunquam fuit illis permessa, quinimo san-  
 ctis-



stissimè interdicta vt patet loco citato. Reddes altissimo iuramenta tua: ab illis ergo iurandi exemplis cauere nos illic commonefecit, quæ illis licebant: licebat autem iurare per templum, & per altare, (sicuti nos modò iuramus) vt Christus ipse palàm docet Matth. 23. vbi Phariseos insimulat, q̄ sic *Matt. 23.* seducerent plebē, vt crederet q̄ qui iuraret per templū, aut per altare, nihil iuraret, sed si iuraret per aurum templi, seu per oblationem altaris: cuius quidē (vt ex eodē loco cōiectura fit) auri & oblationis pretium, qui peierarat, pendere tenebatur sacerdotibus in poenā periurij. Et quod de illo iureiurando antiquis licito loquatur illic Christus, quatuor præterea illa genera recēsitā creaturarū attestatur. Licet q̄ppe, occurrēte necessitate, per creaturas iurare, quatenus in illis existit Deus: existit autē in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiā: vnde quo explicaret modū primum meminuit coeli & terre: coelū nanq; dicitur sedes & thronus Dei, quia illic cēsetur potissimū residere, vbi conspicitur: terra verò eo nūcupatur scabellum pedū eius, q̄ hæc omnia inferiora, velut vestigia sunt ipsi⁹. Et quia Deus omnia coelū scilicet vt habetur Esa. 23. & terrā cōplet, per perifrasi depingitur, quasi homo, qui cœlo

*Trib⁹ modis Deus est in creaturis.*



*German<sup>9</sup>  
sensus.*

lo sederet, & terrā pedibus cōtingeret. Ciui-  
tas autē Hierusalem, loca oīa sacra designat,  
vbi Deus colitur: illic enim præcipuè existi-  
matur esse per præsentia, vbi orantes cū illo  
colloquimur. Sed noīatione capitis, vniuer-  
sa cōplexus est, q̄ eius nutui & potētia sub-  
dūtur. Et ideo in causam cur nefas est iurare  
per caput, subnexuit, quia naturam capitis  
mutare nō possumus de albo in nigrū (etsi  
arte possimus capillos defecare) quoniā to-  
ta natura, opificium est Dei. Germanus er-  
go sensus est, vt ait August. quod ne aliquis  
arbitraretur, iuramenta quæ fiunt per crea-  
turas, non deberi Deo, contrariè nos veri-  
tatis admonuit, docens illa esse re vera iura-  
menta: à quibus ideo abstinendum nobis  
est. Igitur vt ad primum propositum re-  
deamus, si linguas nobis Christus compe-  
scere curauit à iuratione per creaturas, in  
Deum relatas, fortiori nos ratione arcere vo-  
luit à iuratione per Deum. Eam autem ideo  
subticuit, quod ex minorib<sup>9</sup> ad maius aper-  
tissimè colligitur. Vbiuis etenim aut peiera-  
tur, aut vanæ iuratur hoc pacto per creatu-  
ras, scelestius est vsurpare nomen Dei: vt in-  
fra cap. 7. monstrauius. Quin verò cū me-  
morato illi veteri instituto, reddes altissimo  
iuramēta tua, id est, per nomē illius iurabis,  
cōtra



contra obiecit. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, plane videtur iusiurandum per Deum repulisse. Vnde Iacobi documentum Dei explicatius referens, ait. Ante omnia fratres mei nolite iurare: neq; per coelū, neq; per terram, neq; aliud quodcunq; iuramentum: hoc est, neq; per Deum, neq; per creaturam.

*Iacob. 5.*

Dicet ergo quispiam. Si Christus omnino nos illic interdixit iurandi forma, fit vt solida sit obiectio aduersus conclusiones supra assertas: nempe quod nulla nobis relicta sit iurandi facultas, neq; vlllo casu possit iusiurandum esse officium. Respondetur autem, neutiq; mentem fuisse Christi, qui legem venerat (vt ipse ait) non soluere, sed adimplere, præceptum illud, seu permissionem abrogare. Etenim iusiurandum, nõ solùm ad mores attinet, verum etiã iure naturæ, post vulneratam per peccatum humanam auctoritatem & fidem, introductū est, & à Deo concessum, tanq; sæpè numero necessarium ad expediendas lites, vt ait ad Hebræos Paul. Et eam ob causam August. in lib. de mendacio. Cùm Paulus, inquit, post mandatū Domini non semel iurauerit, ipse nobis mandati sensum aperuit. Vnde quod dictum est, non iurare omnino, sub intelligendum est absq;

*Respōsio ad obiectionem.*

*Augu. de mendacio.*



absq; urgente necessitate. Ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi veniatur, & ex facilitate ad consuetudinem, atq; ita ex consuetudine in periurium decidatur. Et infra. **I**ntelligendum est, inquit, illud quod positum est, omnino, vt quantum in te est non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas iusiurandum. Hæc ille. Vbi & conclusionem superioris capitis tertiam confirmat: nempe iusiurandum non esse, vti per se bonum, appetendum. Et in *Augu. ad Publicolã* epistola ad Publicolam quæ est. 154. Illud, inquit, ne omnino iuremus, propterea mihi dictum videtur, non quia verum iurare, peccatum est, sed quia peierare immane peccatum est: à quo nos longè esse voluit, qui omnino ne iuremus admonuit. Hactenus August. Itaq; secundum hunc sanctum doctorem studuit ibi Christus magnificare grauitatem illius citati præcepti. Non periurabis, exaggerando quam sit enorme flagitium, quantumq; ab assuetudine iurandi imminet peierandi periculum. Ait enim in *imperfe- Et o.* *perf. Chryf.* Quod nisi iuramentum interdicatur, non possunt amputari periuria. Vn- *Eccle. 23.* *Eccle'i . 23.* Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Sed de hoc latius in subsequentibus, vbi contra iurandi consuetudinem



tudinem oblocuti sumus. Veruntamen & ad istam, quæ veneranda est expositio, accedat, si vera modo sit, coniectura nostra, videlicet quòd vocula, omnino, non sit referenda ad casus omnes, in quibus iuratur, ut scilicet omnes illos prorsus substulerit nobis Christus: sed ad iuramentorum modos & formas: in hoc utiq; sensu, quod citra necessitatis pietatem nullatenus iuretur, neq; verò per creaturas. Poterant quippe forsan nonnulli mortalium arbitrari, quod citra necessitatem, quanuis iurare per Deum, nefas esset, nihilominus per creaturas, nulla esset malignitas: & ideo redemptor noster cõmonefecit nos, ne nostra sponte vlllo iure iurando vteremur: quoniam ea quæ per creaturas fiunt, verè sunt iuramēta. Ac demum (quod hic potissimum obseruandum est) existimauerim, quod voluit interuallum patefacere, quod inter antiquam synagogam & nouam Ecclesiam latissimũ patet. Enimverò, cùm illi (vt author est ad Galat. Paul.) Galat. 4. veluti paruuli essent in fide, nihil à seruis differentes, aliqua eis, pro eorum imbecillitate indulgebantur, quæ prouectioribus iam nobis, & tanquam filijs ad legitimam ætatem adultis, atq; adeò qui hæreditatem per mortem Christi adiuiimus, nõ sunt cum  
tanta



tantalicentia concedenda. Quo circa iuramentorum frequentia multo nobis est turpior, quàm illis. Christiani enim illa deberent lucis opera de se vbiq; præstare, quæ omni procul iuramento fidem illis cõciliarerent, & iustam cõpararent authoritatẽ. Unde super Matth. Hiero. Veritas, inquit, Euãgelica iuramentũ nõ recepit: cũ oĩs fermovi ri fidelis p ius iurãdo fit: hæc Hier. In cuius exẽplũ, & si De<sup>9</sup> antiquus iurasse legatur: tamen magister noster Christus nusq; iuravit: sed plurimũ ait. Amen amẽ dico vobis: sub quibus vtiq; verbis nulla delitescit iuramenti vis. Perinde enim est prorsus, ac si dicas: verè verè: seu firmiter dico vobis: quemadmodum apud Lucam ipse illud exponit.

Hieron.  
Matth. 5.

Luc. 5.

C A P. IIII. Quo species variæq; iuramentorum formæ explicantur.



E C V N D V M  
punctum, quod in hac prima parte propositũ est, versatur in enarrandis iuramentorum differentijs: id quod unico capitulo absolutum dabimus. Et quoniam iam mortalium vulgus

gus



gus blasphemias & apostasie monstrifica  
verba promiscue iuramentis annumerat, de  
omnibus distincte admonebimus. Igitur *Trifaria*  
tria sunt capita, per quae iuramentorum di- *diuidun-*  
stinctiones variantur. Dignoscuntur enim *tur iura-*  
iuramenta, aut ratione rei, quae iuramento *menta.*  
affirmatur, aut ratione illius, per quem iu-  
ratur: aut denique tertio ratione formae & mo-  
di iurandi. Ratione primi capitis diuiditur  
primum omnium iusiurandum in asserto-  
rium & promissorium. Assertorium (sub  
quo & negatiuum comprehenditur) est quan-  
do aliquid affirmatur vel negatur, seu in  
praesentia contingere, seu iam in praeteritum  
pertransisse. Quemadmodum Romanis iu- *Rom. I.*  
rauit Paul. sine intermissione eorum memi-  
nisse, quotiescuq; oraret. Promissorium au-  
tem iuramentum fit, dum quis quid iurando  
pollicetur. Quo pacto famulus Abrahamae iure  
iurando obstrinxit hero fidem accersendae  
uxoris filio ex Mesopotamia. Atqui utruq;  
genus subsecabitur, cap. proximo in iura-  
mentum verum, & iuramentum falsum: iustum, &  
iniquum: prudens & temerarium. Secundo mo *Secunda*  
do ex parte illius, per quem iuratur diuiditur *diuisio.*  
iuramentum, quod per Deum fit, ab illo, quod  
fit per creaturas. Atque huius rursus duplex  
exemplum est. Fit namque, aut constituendo finem



& venerationē iuramenti in creaturis: quæ ratione gentes iurabāt, siue per Iouem, siue per Herculem: siue per Solem, aut Lunam, aut certè per demones. Aut fit more Christiano, referendo creaturas in Deum. Sicuti iuramus per sanctos, quos Deus per gloriā inhabitat, perq; Euangelia; quibus est ipsi⁹ veritas cōscripta. At verò neq; vnica hæc est per creaturas iurifurandi species. Quādoq; enim simpliciter eas in testes adducimus, sicuti Deū ipsum: vt in proximo patet exemplo: sed altera est execrationis figura: vtpotè dum creaturā iustitiæ Dei in cōfirmationē veritatis sic obstringimus & obligamus, vt si aliter res habeat, q̄ affirmamus, Deus in illa creatura vlciscatur periuriū nostrū. Hoc enim pacto Patriarcha Ioseph iurauit per salutem Pharaonis. Et hic est iuramentorum sensus, quoties quis iurat per suam, aut patris vitam, aut salutem. Tantundem enim est, ac si execrādo dicas. Si non ita est, dispaream, vel Deus vltor esto in salute mea. Et his similia sunt. Nisi verum aio, nunquam me Deus adiuuet, aut seruet. & cæt. Ex qua vtiq; forma perspectum nobis fiet inferius, quā sit enormis blasphemia iurare per vitam Dei, aut sanctorum. Ad hunc ordinem referuntur imprecationes huius figuræ. Ita

me



me Deus amet, seruet, adiuuet, &c. Eodem enim recidunt, ac si diceres. Si non ita res habet, non me Deus amet, aut seruet. &c. Et quòd talia imprecationum exempla loco sint iuramentorum habenda, inde cõfirmatur quod quãdo iuramentũ solemniter recipitur, hæc adhibentur verba. Si verũ fassus fueris, auxilietur tibi, faueatq; Deus, sim autem, rationẽ ex te reposcat. Tertium caput discernendi inter iuramenta sumitur (vt dicebamus) ex varijs verborũ figuris & exemplis iurandi. Primũ quippè, idemq; vetustissimũ iuramentorum exemplar fuit olim lege veteri celebratum. Viuit Deus: aut, viuit Dominus. Id quod Deus ipse docuit illã gentẽ, tum suo exemplo, tum etiã lege. Iurauit em̃ ipse, Num. 21. Viuo ego, & ita præcepit Moyse renunciare populo, Viuo ego dicit dñs. Deinde per Hieremiã. Iurabis viuit Deus. Fuit nanq; hoc iurisiurandi specimen tũc tẽporis accomodatissimũ ad cõdemnandũ Ethnicorũ iuramenta. Iurabãt quippè, aut per elementa & in anima faxa, aut per Iouem, & id genus homines vita defunctos: cũ tamen ille, qui in testẽ asciscitur, præsens esse debeat, idẽq; rei cõsciens, quẽ iuratur. Idẽ ergo est. Viuit Dñs, ac si dicas. Illũ in testẽ afferro, qui non modo vitã viuit immortalẽ,

*Tertia  
diuisio.*

*Num. 21.*

*Hiere. 4.*



sed vbiq; adest: neq; tantum iurantis verba audit, verum & intima cordis intuetur: qui ideo neq; decipi potest, neq; vult quenq; seducere. Secunda post hanc forma iurandi est, Testor Deum, aut, Testis mihi est Deus. Qua vsus est ad Rom. Paul. Atqui hæc expressius effert naturã iuramenti. Est si quidẽ, iurare (vt supra dicebamus) Deum aut diuina in testes citare. Tertia forma fit expresso verbo iurandi: vt iuro Deum, & per deũ: vt Gen. 22. Per memetipsum iuravi. Aut subtacito verbo, proferendo solam præpositionem, vt si dicas, Per Deum, per sanctos, & p̄ Euãgelia, sic & sic est. Quin verò absq; vlla verborum prolatione, cū quis rogatus ac iussus manu Crucem, aut Euangeliorum volumen attingit, re vera iurat.

Observã-  
da regu-  
la.

At verò quoniam possunt nonnunq; veritates absq; iuramento affirmari sub aliquibus verbis, quæ specimen præferunt iuramenti, adnotanda est hæc dignoscendi regula. Quando assertionis confirmatio nullum in se adfert attestationis, aut execratiõis momentum, sed tantum est enunciationis expressio, nullum tunc subest iuramentũ. Vt si dicas, verè, aut, in veritate hoc est, nihil iuras, quoniã idem est prorsus, hoc est, & in veritate hoc est. Enimverò affirmare aliquid,  
nihil



nihil aliud est, quàm veritatem asserere: sicuti & negare aliquid, idem est, quod falsitatē refellere. Atqui eadem ratione neq; huiusmodi aduerbia, certè, profectò, sanè, & id genus reliqua cōstituunt iuramenta. Neq; verò si dicas. In fide mea, aut, Per fidē ingenui viri. Sensus enim est, hoc aio aut nego fideliter, vt habeo in mente. At si dicas. Per fidē Dei, aut, per fidem Christiani, tunc quidem per fidem catholicam iuras, quam adducis in testem. Quanuis forsan si diceres. In fide boni Christiani, non resultaret iuramentū: quia nihil cōtestaris per fidem catholicam, sed ais, te id asserere in ea humana fide, quā boni Christiani sibi mutuo seruari debent. Iurare autem homines per seipsos, ne vtiq; licet, vt vulgo dicitur. Iuro per me, vel a mi. Id quod Chryso. super illud Hebræo. 6. Homines per maiores se iurant, cōmonuit. Vbi ait. Non æquale est hominem per se iurare, & Deum: homo enim sui potestatem nō habet. Quinimo vbi nobis Christus potestatē ademit iurādi per nostrum caput, illic & iurare per nos ipsos vetuit. De hoc igitur exhortandi sunt, qui secus sentiunt. At dubiū restat, vbi quis testatur propriam conscientiam, an sit iurasse censendus. Re vera si vim verborum perpendas, dicere In mea cōscien-



tia nullum parit iuramentum. Nam idem est dicere, hoc aio in conscientia mea, quod si dicas, id aio, quod sentio: aut loquor secundū quod sentio. Etenim si procurator absq; vlllo alio iurandi verbo diceret. Hoc affirmo in conscientia meæ partis, nullum præstaret iuramentum. Et idem (vt reor est) per meam conscientiam. Nisi quòd hoc postremū aliquam secum affert iuramenti vmbra: ac si dixisses, Iuro per meam conscientiam: quod est iurare per creaturam: veluti si dicas, Per animam meam. Qua ideo voce viris religiosi abstinentū est. Quinuerò, quia plebs nequit facilè inter hæc dignoscere, consultius est nō nominare conscientiam, sed id prorsum, quod tutissimū est. In veritate, seu in fide mea, Profectò, &c. Imò qui synceris studeret vti verbis Euangelicis, est est, non nō, multo plus ponderis adhiberet suæ fidei.

Sunt præterea figuræ aliæ & phrasæ quas vulgus trutina iuramentorum estimat: cum sint multo peiore nomine dignæ. Et est præcipuè Hispanis in more, loco iuramenti dicere. Voueo Deo: cum tamen hoc, nō tam iuramentū, q̄ votum sit expressum. Longe quippe aliud est, Deum in testē adducere, quod est iurare, quàm illi aliquid polliceri & uere: id quod maioris est vinculi, q̄ si homi-  
ni ali-

*Voueo deo*



ni aliquid subiuramento spopōdisses. Quo circa cum nihil voueamus, nisi quod in futurum præstandum à nobis est, ineptissimus abusus est, vice iuramenti assertorij dicere, Voueo deo, quod hoc est verum. Post hoc subsequuntur blasphemix genera: quorum lineam attingere videntur, imprecationes illæ, quæ abusiue iuramenta censentur: vt, Corpus Dei cum tali aut tali homine nequam. Haud enim hoc iuramentum est, veluti si asserendo diceres. Per corpus Dei ita est. Sed est quædam irascentis imprecatio & alteri succensentis, & quasi vindictam Dei petentis. Et simile est illud, O fides Dei: ad illum pone modum, quo Gentiles implorantes deorum fidem, aiebant. Dij vestram fidem. Habent præterea & blasphemix effigiem comparationes huiusmodi. Hoc est verum, vt Deus est veritas, vt Deus est Deus, vt natus ex virgine, vt passus. &c. Hæc namq; quando sunt periuria, grauiora sunt, quam simplicia falsa iuramenta. Et casu quo id quod asseritur, verum sit, tamen non carent culpa: vt capitu. 6. patebit. Iam verò quæ his grauiora sunt verba, in comperto est, omnia esse blasphemata: quæ nostrates quinque infanda verba nominant, & apud varias nationes, varia sunt:

*Voueo deo*

*vt deus est  
veritas. E*



vt non credo in Deum: & quod nostri effingunt, discredo, si hoc non ita est. Hæc enim nequaquã sunt iuramenta: quoniam Deus sub hac forma non allegatur in testem; sed blasphematur. Et quando assertio, falsa est, multo est immanissimum ac scelestimũ crimen. Nã qui ait, se non credere, nisi id quod falsum est, verum sit, iam Deum diffitetur: quod in apostasiam inclinat. Et quanuis esset assertio verissima, esset nihilo secius peccatum mortale grauissimum: & multo magis nefandum, cum quis (quod Christianæ aures ferre non possunt) negaret, aut (quod aiunt) renegaret Deum. Quartum blasphemix genus, quod in vsu Hispanis habetur, est iracundiæ furor. Displiceat hoc Deo, vel eum tedeat, vel de hac re illi indoleat. Hæc nanq; sonat, Pese. Id quod non habet iuramenti formam: sed est potius irascentis interiectio, & rabidè scandescentis in alium. His accedit & alia blasphemia, Per Dei vitam: quæ furorem quoq; effert comminantis: & execratorium est iuramentum. Hæc autem omnia simpliciter in hoc cap. suo ordine allata sunt & digesta: de quorum grauitate & enormitate in secunda parte dicturi sumus.



C A P. V. Quo comites iuramenti  
 declarantur.



Tertium deniq;, postre-  
 mumq; punctum hu-  
 ius primę partis est, de-  
 clarare quibus sit comi-  
 tibus exornandum iu-  
 ramentũ, quo fieri pos-  
 sit honeste: sic enim ca-

pi.2. discretum à nobis est inter virtutes il-  
 las, quæ genere suo bonæ sunt, ac per se ex-  
 petendæ, & iuramentum, quòd necessitas in  
 ordine virtutũ constituit: nimirum quod il-  
 læ, nisi mala circumstantia vitientur, semper  
 bene fiunt: iuramentum autem, quo bene  
 fiat, certis ornatibus eget. Comites autem iu-  
 ramenti propheta Hieremias afflatu nutuq; *Hiere. 4*  
 Dei deprompsit, vbi dixit: Iurabis, vivit Do-  
 minus in veritate, & in iudicio, & in iustitia.  
 Vbi Hieron. Animadvertendum, inquit, qd  
 iusiurandum hos habet tres comites, verita *Tres iu-*  
 tem, iudicium, atq; iustitiã. Et subdit. Si ista *ramenti co-*  
 defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed *mites.*  
 periurium. Et intelligit, nõ solùm esse periu-  
 riũ, vbi tria simul defuerint, sed etiam vbi-  
 cunq; eorum quod piã abfuerit. Tametsi  
 diuersa ratione & gradu. Enimvero iusiur-



randū, cui deest veritas, propissimè est periurium: cui autem abest iustitia, licet esset verum, est tamen iniquum: atq; ideo periuriū, quod qui rem iniustam sub iuramento pollicetur, id iurat, quod nō debet implere: ob idq; fit ipsa iuratione periurus. Attamē iuramentū, quod absq; discretionē & iudicio fit, quāuis sit verū, & aliās iustū, est nihilominus temerariū: & ob peierādi periculū meretur etiā nomē periurij. Quo fit vt si hæc illegitima iuramenta ad formā violati præcepti accommodentur, quæ est, ne nomen Dei assumatur in vanū, diuersa in illis cōperietur vanitatis ratio. Vanum enim est, quod fit frustra, hoc est, quod fine suo caret. Diuersimodè ergo hæc vana sunt. Duo nāq; priora præcipuo ac potissimo fine orbātur, quinimo, neq; substātiā habēt iuramēti, q̄ est veritas. Et ideo ea ratione vana sunt, q̄ est testa auelane, fructu vacua. Iuramentū autem temerariū, dicitur vanū, quia fit extra necessitatis finē. Requiritur igitur veritas primū omniū in iuramēto. In assertorio quidē, vt id quod asseritur, verū omnino sit: atq; id quod negatur, sit utiq; falsum: in promissorio vero, vt id quod promittitur, tempore & loco impleatur. Secundus quoq; iuramēti comes, nēpe iustitia, diuersa ratione in promissorio iuramen-

*Multi-plex ius iurandi vanitas.*

*Secundus comes.*

ramen-



ramento pensatur, quàm in assertorio. Etenim in assertorio libranda iustitia est penes iurandi causam. Exēpli gratia, si quis in publicum traducit nomen proximi, detegendo cum iuramento occultum eius crimen, is, etsi verū iuret, tamen iniquè id iurat, eò q̄, violata iustitia, iniurius est in proximum. Si quis inquam sua sponte id iurat, non legitimè in iudicio compulsus. At verò in iuramento promissorio iustitia exigitur ex parte rei promissæ: videlicet, vt id quod sub iuramento promittitur, licitum sit, & honestum. Etenim qui iurat se homicidiū facturū, aut furtū, iniquè iurat: p̄pterea quod iustitiā offendit. Quod quidē iuramētū nullum secū affert obligādi vinculū. Quinimo hmōi homo (vt modò dicebam⁹) eo fit iurādo piurus, quod id iurat, quod implere, vel nō licet, vel nō decet: atq; adeò dū iuramētū implet, recēti priorē culpā accumulāt. Quinimo iusiurādum cōtra id quod consiliū est, neq; iniqtate caret, neq; iurantē obligat. Vt si quis iuraret, nunq̄ religionem profiteri: nunq̄ mutuo, aut cōmodato subuenire indi gētī: est enim in hmōi turpib⁹ p̄missis rescin dēda fides. Tertius demum comes iuramēti, *Tertius comes.* est iudiciū: hoc est discretionis prudētia. Nā etsi cum veritate iustitiā coniungas, tamen absq;



absque iudicio comite iurare non decet. In-  
 sunt igitur in hac conditione multa. Pri-  
 mum, ut iusta illa veritas, quæ iuramento fir-  
 manda est, nequeat alia via cõprobari. Quo  
 circa speculatiua dubia nequaquam licet iu-  
 ramento cõfirmare: sed sunt, vel rationibus,  
 vel authoritatibus, vel cõiecturis tractanda.  
 Quãobrem, seu philosophus esset, seu Theo-  
 logus, seu iurisconsultus, qui locis & argu-  
 mentis suæ facultatis destitutus, dubia iura-  
 ret, temeritatis culpam incurreret. Pari mo-  
 do qui patentissimas veritates iuramento  
 adstrueret, ut quod pluit, vel frigus riget,  
 aut sol adurit. Mox iuramenti discretio ex-  
 postulat, ut non, nisi grauißima perurgente  
 necessitate, adhibeatur, videlicet ob aliquẽ  
 pium finem, ac tuendæ charitati & paci ne-  
 cessarium. Diuina enim maiestas, nõ debet  
 qualibet de causa in testem ascisci. Tertiõ  
 requirit iurandi prudentia ut circumspectè,  
 & cum debitis fiat circumstantiis: nempe in  
 iudicio, & præuia consultatione, maturoq;  
 veritatis examine. Hæc autem fusius ac præ-  
 sius figillatim examinanda, pertractandaq;  
 nobis sunt per suos cuiusq; gradus & nu-  
 meros: ob idq; satis hic fuerit ea perstrictim  
 proposuisse.

Secunda



❧ S E C V N D A ❧

P A R S.

C A P. V I. *De blasphemis quæ cum iuramentis permiscetur.*



Xpediimus ergo primam partem huius nostri destinati opusculi. Constituimus inquam iurisiurandi virtutē in suo proprio religionis genere: mox varias iurationis formas simpliciter oculis obieci-  
mus: ac deinde iuramēti comites, citra disputationē, planiter recitauimus. In hoc enim tria ista præmissim⁹, vt aditus nobis patefceret ad hanc secundam partem, in qua absurditatem ac perniciem huius sacrilegæ peierādi pestis suis coloribus depingeremus. In hac autem re eum tenebimus ordinem, quē tres iuramenti comites nobis offerunt: scilicet veritas, iustitia, & iudicium. Dum tamē in hoc. 6. cap. nefanda prius blasphemix mōstra infamauerim, vt non sit nobis opus ea amplius resumētes nominare, sed intra limites iuramentorum sermonem continea-  
mus.



*Blasphe-  
mia.*

*S. Thom.  
22. q. 13.*

*Iurare  
per fal-  
sos deos.*

*S. Thom.  
2. 2. q. 98*

*Augu. ad  
Publi.*

mus. Est siquidē blasphemia latissimè periuri-  
rio peior. Nā peierare, nō est nisi Deū, vt fal-  
si testem allegare: blasphemia verò est, ma-  
ledictum & conuitium in Deū ipsum iacta-  
tū, quo vel honori ipsius & dignitati quid-  
piā detrahatur, vel quod ei nō cōuenit, impin-  
gitur. Quapropter per periuriū, eius in dicē-  
do veracitas dehonestatur, p̄ blasphemiam ve-  
rò sua ipsius veritas in essendo offenditur.  
Vñ vt. 22. q. 13. author est S. Tho. blasphemia  
opponitur cōfessionī fidei: & idcirco, veluti  
infidelitatis species, primo mādato obuerfa-  
tur: cū periuriū nō intēdatur nisi cōtra secū-  
dū. Proficiscamur ergo ab illa ethnicorū iu-  
rādi idololatria, q̄ cōmittitur iurādo per de-  
mones, perq; falsos deos, seu p̄ creaturas, tri-  
buēdo illis iuramēti honorē, vero deo debi-  
tū. Iuratiōes q̄ppe h̄mōi, iuramēta q̄dē sunt:  
imo si sui tres adsint comites, scilicet veritas,  
iustitia, & necessitas, etsi sint iuramēta per-  
uerfa, tamē ob talē p̄uersitatē nō propriè cē-  
sentur periurij noīe: vt. 2. 2. p̄bè adnotauit S.  
Tho. q. 98. Quāobrē idololatra, atq; Gētilis  
stare tenetur suo iuramēto, vti author est ad  
Publicolā Aug. nō ob id q̄dē, quod fidē suā  
falsis diis obstrinxerit, sed q̄ iure nature te-  
netur seruare promissum. Et hāc ob causam  
Christian⁹, q̄ in necessitate cōstitutus infide-  
lium



liū iusiurādū suscipit, nō se eius immiscet fal  
se secte, sed fide tantū illius vtitur, quā in cō  
uētis humanis seruare tenētur mortales vni  
uersi: & ideo nihil peccati cōmittit, q̄ hoc pa  
cto vtitur nefandis illis iuramentis. Id quod  
inter decreta retulit Gratianus. 22. q. 1. can.  
Mouet. vnde qui per lapidem falsum iurat,  
periurus est: vt ait Augus. & refertur. 22. q. 5.  
can. Ecce dico. Erat enim Gentilibus omniū  
iuramentorum sanctissimum, Iouem lapi  
dem iurare. Inde sumptū, quòd ritus fuit ve  
tustissimus feriendi foederis, vt pater patra  
tus manu tenens lapidem conceptis verbis  
iuraret, & tunc suem lapide feriret. Hoc au  
tem nihil ad rem nostram: attamen sumpsi  
mus hinc exordium, tum quòd grauissimū  
hoc est iurandi facinus, tum etiā quod cū  
nō sit Christicolis in more, relinquendū sta  
tim erat à nostra disputatione. At quia de  
grauitate periuriorū nobis initus est sermo,  
hoc in præsentiarum admonito opus est.  
Ait quippe Augu. loco illo nuperrimè cita  
to, q̄ sine vlla dubitatione minus malum est  
per deum falsum iurare veraciter, quàm per  
Deum verū fallaciter. Verba eius sunt in for  
ma: quæ tamē sententia non omnibus pro  
batur. Quin uero, nisi piè interpretata, defen  
sari ne vtiquā potest. Nam vt ait in imperf.  
Chryf.

*Augusti  
ni senten  
tia nō tu  
ta.*



*Chrys. in imperfe- Sto.* Chryso. Idololatram se facit omnis, qui per aliud à Deo iurat. Et quando id nemo dixisset, res est patentissima, quod iuratio per deos falsos, sit idololatriæ impietas: quod utiq; crimē, contra primum præceptū committitur de vno colendo Deo: peccatum autē, quo primū temeramus præceptū, omni periurio (vt modò dicebamus) iniurius est: quippe quod est secundi transgressio. Et ratio est in præceptu, quia atrociorē irrogat iniuriā Deo, qui eum diffitetur esse solū Deū, (est enim hoc cōtra suam ipsius substantiā) quàm qui contra eius dignitatem eum allegat in testimoniū falsum. Vnde apud Hier. Deus filiis Israel vtrunq; vna inproperat, & quòd ab eo, veluti apostatæ defecissent, & iurarent in his qui non erant dij. At qui hac de causa Pius papa. 22. q. 1. can. Si quis, blasphemiæ eum damnat, qui per creaturas iurat. Vnde si in ecclesiastico, inquit, ordine est, deponatur: si laicus, anathematizetur. Qui quidem textus de iuramento per creaturas, idololatrarum abusu intelligēdus est: nam aliter, per creaturas iurare, non est blasphemia. Neq; verò veritatem hāc negasset Aug. con tra mēd. Aug. Ait enim in li. contra mendaciū quòd blasphemare, ideo peius est, q̄ peierare, q̄ peierando falsæ rei adhibetur testis Deus: blasphemant-



spemando autem de ipso falsa dicuntur. Ergo cum re vera qui alium agnoscit Deum, ille falsum dicat de Deo vero, puta quod non sit solus Deus, fit ut multo impius sit verum iurare per falsos Deos, quam falsum per Deum verum. At verò forsitan ad Publicolam nihil cogitabat de idololatria, quam certò sciebat esse grauiissimum peccatum: sed sentiebat quod si ipsa per se ratio iurandi confidetur, minus malum est, verum iurare per falsum testem, vbi salua consistit substantia iuramenti, quam iurare falsum per Deum verum.

Ergitur ut ad blasphemias descendamus, dicere (vbi vsus habet Hispanus) Voueo Deo, Deo. licet non sit blasphemia, est tamen (vt cap. 4. prænotauiimus) grauius iuramento, pro eo quod est votum: atque adeò ineptissime pro iuramento vsurpatur assertorio. Illa autem verborum figura quam eodẽ cap. 4. arbitrabamur, modo quodam inter blasphemias reponendam. Corpus Dei, aut fides Dei cum tali, aut tali homine nequam, non sunt æstimanda iuramentorum libra: quia nullum illic subest iuramentum: sed est quædam bilis exorbitantia, qua Deus præter ordinem imploratur vindex proximi. Nisi eo impudentiæ ira efferuescat, vt

*Voueo*

*Deo.*

*Corpus*

*Dei.*

D odiũ



odiam & inuidiam quæ de homine concipi-  
 tur euomatur in Deum. Hæc enim iam tunc  
 plusquam blasphemia esset sathanica. Atta-  
*Aequipa- rationes.* men æquiparationes illæ & collationes no-  
 strarum veritatum cum diuinis, apertius in-  
 grediuntur blasphemiarum ordinem. Sicuti  
 Deus est, & sicut natus ex virgine, sic mea  
 habet veritas. Quocirca dum falsitas sic af-  
 firmatur, foedissimum est periurium, cum  
 blasphemia coniunctum. Et quãdo affirma-  
 tio veritate polleret, non tamen esset à bla-  
 sphemia immunis. Nam quanuis veritas (vt  
 aiunt philosophi, eò quòd adæquatio rei ad  
 intellectum, in indiuisibili consistit, non reci-  
 piat magis & minus, tamen quia veritates  
 æternæ & diuinæ, ipsissimæ sunt, inaccessæq;  
 veritates, ac subinde principiũ & finis crea-  
 turarum omnium, nulla nostrarum verita-  
 tum cum illis est comparanda. Imo est quæ-  
 dam hæc non infima blasphemix species,  
 quæ vel de nostra superbia erigitur, vel à  
 nostra inflamatur iracundia, dum tantam  
 nobis fidem præstari affectamus, qui & de-  
 cipi solemus, & decipere, quanta inuertibi-  
 li debetur veritati diuinæ. At verò manife-  
 starię quinq; verborũ (quod nostrates aiũt)  
 blasphemix, nõ sufficit lingua humana, exa-  
 gerare quã non deberent inter Christianos  
 tole-



tolerari. Quomodo enim Christiani sumus, qui primam fidei nostrae confessionem dene- Non cre-  
 gari nobis audientibus non usque adeo inique do.  
 ferimus? Caput primum confessionis nostrae  
 est, Credo in Deum, pro quo utique tuendo  
 capita nostra tenemur exponere, & eos in  
 coetu fidelium ferre possumus, qui sathani-  
 co ore contrariam blasphemiam euomant. Non  
 credo in Deum? Et (quod aures, non solum fi-  
 delium, sed humanae omnes audire expaue-  
 scunt) Deum abnego? Vel (ut fingunt) Discre-  
 do, & Renego? Haec siquidem blasphemiae  
 prodigiosas effigies, ut Deum, cuius nutu con-  
 diti sumus, & providentia gubernamur, quis  
 deneget, nulli sunt mortalium, seu farrace-  
 nos cogites, seu idololatrias, qui non contre-  
 miscant audientes. At sumus usque adeo sen-  
 suali caecitate submersi, ut quoniam non vi-  
 demus mortis supplicio tales blasphemias vin-  
 dicari non tam eas execramur, quam homici-  
 cidia vel alia id genus peccata, quae nos in  
 bonis laedunt temporalibus: cum tamen blas-  
 phemia, impietas sit nefandissima, crimini-  
 busque adeo omnibus & flagitijs immanior, quae  
 in proximos patrantur, ut auctor est S. Tho.  
 2. q. 13. Obuerfatur quippe (ut dicebamus)  
 confessioni fidei: atque illae potissimum,  
 quas iam nunc memorabamus Non cre-  
 do



do &c. Infidelitas autem (vt. 22. idem ait S. Thom. 2. 2. q. 10. peruersius omnibus peccatum est, quæ in morum peruersitate contingunt, siue homicidium cogites, siue alia flagitia & scelera. Tenet quippe tertium gradum post illa quæ spei, diuinoq; amoris ex diametro opponuntur. Quamobrem, etsi ea sit in nos Deus beneuolentia, vt acerbius puniri publicitus sinat in hoc mundo mala illa quæ homo aduersus hominem committit, quippe quibus pax nostra & rei publicæ tranquillitas perturbatur, quàm impias iniurias, quæ suæ inferuntur maiestati, tamen in eius conspectu longissimè sunt nequioris culpe. Quin etiam in lege veteri poena mortis decreta erat blasphemis. Sic enim legimus *Leuitic. 24.* Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphema uerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit omnis, inquit, multitudo: quia vniuersi esse debent vindices honoris Dei. Ecquid non lapidibus obrueretur, qui dignus profectò esset, quæ hiatus terræ absorberet. Perspice cur *Deute. 11.* Dathan & Abiron viuentes terra deglutiuit. Re vera ait Moyses, quia blasphemauerunt Dñm, volentes discedere ab eius obediētiā?



At ille qui Deum se ait negare, ab eius se etiam fide fatetur, veluti transfugam desciscere. Vide quo soleat impetus inflammati iracundia furoris euadere. Ex duplici enim radice blasphemia pullulat. Illa inquam quæ *Duplex* deliberata ratione prorumpit, ex superbia *blasphemie fons* in Deum nascitur, iuxta illud Eccl'ia. 10. *Ecl'ia. 10.* Initiũ superbix hominis apostatare à Deo: illa verò quam perturbatus animus parit, ex ira concipitur. His proximè adiungitur species quarta, vbi nostri aiunt, *Pese.* hoc est, Deo hoc displiceat, & condoleat. Quod verbum, hominis est, egritudinem sui animi respicientis in Deum: quasi diuinum numẽ, nostris afficeretur perturbationibus. Non satis est tibi odium in fratrem tuum concipere, & bili scandescere, quem te Deus iussit, sicut te ipsum diligere, qui Deo idẽ odiũ obtrudere cupis, quod tibi prohibuit? Intel ligat ergo semel Christianus populus quantum impietatis & prauitatis in huiusmodi blasphemis insit, vt sciant, si non se cohibuerint, quanta eos maneant inferni suplicia. Neque eas ciuilibus poenis metiantur, quæ non sunt, nisi vel carcer triginta dierũ, vel dentium euulsio, vel plurimum abscisio linguæ. Est præterea & genus blasphemix insigne iurare per Dei vitam. Hæc nanque



phrasis non est ab eo deriuata, quod est, vi-  
 uit Deus. Haud enim idem est dicere, Per  
 Deum, & per Dei vitam: quandoquidem se-  
 cundo hoc modo non simpliciter asciscitur  
 Deus in testem, sed est execratorium ver-  
 bum: nam pari modo, quo dum ais, per vi-  
 tam patris, aut regis, salutem eius in poenā  
 adstringis & ultionem, si aliter res est quā  
 affirmas, ita dum ais, per vitam Dei, ipsam  
 eius vitam (videte blasphemiam) designas  
 ultioni, ac si Deus de seipso suppliciū posset  
 sumere. Sunt & blasphemiarum non infi-  
 mæ species, iurare per membra Dei, vt per  
 caput, per sanguinem, per iecur, & per alia  
 membra, quæ nominare depudet. Nam  
 præterquam, quod Deo videntur isti mem-  
 bra tribuere, etiam si de membris Christi  
 id intelligant, enorme conuitium & contu-  
 melia est. Quandoquidem hoc nō est mem-  
 bra in testimonium afferre, sed vituperiis  
 Christum fordidare: sicuti & nefas est iura-  
 re per intemeratam Deipare virginitatem.  
 Ob idq; mirari satis nequeo, cur publicæ  
 potestates, si non euangelium, saltem au-  
 thenticum Constantini non consulunt de  
 hac re: cuius titulus est. Vt non luxurien-  
 tur homines contra naturam, ne iurent per  
 caput aut capillos Dei, & ne Deū suū blas-  
 phe-



phement. Vbi iurare per capillos nefando  
exequatur flagitio, quod fit contra naturã.  
Quinero (vt suprã diximus) grauior illo  
est blasphemandi impietas. Quocirca pro-  
pter huiusmodi peccata (vt illic habetur) se-  
uire sæpenumero Deus solet in genus hu-  
manũ. Nunc scilicet urbium incendiis, nunc  
fame, nunc bellis, & subuersionibus, & hu-  
iusmodi aliis portentis suum vindicans san-  
ctissimum honorem & nomen. Et hanc ob  
causam sanctissimè obtestatur illic impera-  
tor prætorum urbis, vt quos talibus delictis  
irretitos deprehenderit, præterquam quod  
semetipfos indignos faciunt Dei misericor-  
dia, vltimis subdat suppliciis. Vt nõ ex con-  
temptu taliũ inueniatur & ciuitas & res pu-  
blica per hos impios actus lædi. Nam si con-  
tra homines, inquit, factæ blasphemix, im-  
punitæ non relinquuntur, qui Deum ipsum  
blasphemant, magis digni sunt suplicia su-  
stinere. Hæc Constantinus. Et est præcipuè  
recolenda collatio hominum cum Deo.  
Papè, qui in regem blasphemus est, quàm  
omni opprobrio & suplicio, & quidem me-  
rito, dignus habetur. Et tamen eum qui re-  
gem regum contumeliis proscindit, non  
tam iniquis oculis conspicitur. Sed de bla-  
sphemis hætenus.



C A P. V I I. de quiditate & gradibus as-  
sertorii periurii.



*Diffini-  
tio periurii.*

*Cōclusio  
capitalis.*

**P** O S T blasphemias insequendus ille nobis periuriorum ordo est, quem iam supra proposuimus secundū iurandi comites. Primus igitur iuramēti comes, est veritas: quæ (vti dicebamus) medula & substantia est honestatis iuramenti, aliās Deum, hoc est, lumen ipsum veritatis, enormis impietas est, in testimonium implorare. Assumitur enim tunc eius nomen in vanum: non quouis pacto, sed (vt cap. 5. meditabamur) insigniter, quia omnis tunc abest iuramenti consistentia. Atqui cū hæc prima per se sit periurij species, merito periurium definitur, esse mendacium, iuramento firmatum. Statuitur ergo hîc vniuersalis conclusio, quæ nullam prorsus sui exceptionem permittit. Omne assertorium periurium est peccatum mortale. Omne inquam, in quacunq; materia, quocunq; fine, quacunq; de causa, & sub quacunque forma, & quocunq; modo, & intētionē fiat: dū tamen sit actio deliberata. Accommodatur  
nunc



nunc sermo ad assertorium & pariter ad negatiuum iuramentū : quoniam de promissorio, in quo ratio periurij est paulo diuersa, seorsum infra dictū est. Dixerim in quacūq; materia : siue magna, siue parua. Etenim qui falso iurat se non fricasse barbam, mortaliter peccat, atq; si iurasset rem aliam grauissimam. Nam tam falsum est, te non fricasse barbam, aut non penna leuasse dentes, quàm te nō patrasse homicidium, quod tamen cōmissisti. Et quouis id fine, aut causa facias, nihilominus letale peccatum est, quanto sit cumq; finis aliàs sanctissimus, & pientissima causa, eademq; grauissima. Vt si deieres ad cauendum tibi mortem, vel innocenti, vel regi: vel ad liberandam à proditione & incendio totā rem publicam. Quin etiam si illa via hominem seruasses ab æterna morte, nihilofecius tuam ipsius animam peremisti. Exemplum est in lib. cōtra mendacium August. Si quis esset infidelis in potestate impiorum cōstitutus, ad quem perueniri non posset, vt regenerationis lauacro ablueretur, nisi deceptis mentiēdo custodibus, minimè id liceret. Perspicè nō solūm peierare nefas esse, verum neq; mentiri fas est ad redimendam animam proximi, eripiendamq; à tartareis faucibus. Et vt sum-

*Aug. lib.  
cōtra mē-  
dacium.*



matim dicamus, quemadmodum (vt in de-  
 22. q. 2. cretis extat. 22. q. 2. can. Primùm est) nulla,  
 can. Pri- neu vera, neu cogitata ratione mendacium  
 mùm. dici potest citra peccatum, sed suo quoque  
 gradu vniuersim delictum est, aut mortale  
 & capitale, vt quando fit in doctrina religio-  
 nis: & deinde, quod quempiam iniustè læ-  
 dit, & nulli prodest: & tertium, quod sic al-  
 teri prodest, vt obsit alteri: aut saltem est ve-  
 niale, vt quod alteri prodest & nocet nemi-  
 ni: aut quod placendi, seu iocandi cupidita-  
 te fit (& sic de reliquis) ita nullum quis fari  
 potest, vel leuissimum mendacium: seu ma-  
 teria minima sit, seu causa maxima, quin, si  
 iuramento firmetur, mortale sit crimen. Et  
 ratio præsto est talis. Peccatum mortale est  
 illud, quod charitati Dei vel proximi aduer-  
 satur: citare autem Deum in testem falsi, cha-  
 ritati eius contrarium est, eo quod atrocif-  
 sima inde in eius veritatem conflatur iniu-  
 ria & contumelia: ergo est mortale crimen.  
 Adde, quòd si id quod aliàs iure licet, exer-  
 citum tamen in contemptum Dei, impietas  
 letalis est, quanto id certius, quod eundem  
 secum affert contemptum. Vnde in sermo-  
 ne super verbis Iacôbi Aug. Recedit ait ani-  
 ma, cum corpus percutitur gladio, & putas  
 quod non recedit Deus cum ipsa anima fe-  
 ritur



ritur periurio? Et ad populum Homil. 15.  
Chryf. Non ita, inquit, pungit ensis, sicut iuramenti natura. Non sic occidit gladius, sicuti iuramenti plaga. Quin verò adeò ex innata sibi natura intimè malum est, periuriū, vt nullam prorsus dispensationem admittat. Et ideo quasi res esset præcipuè momenti, grauisimo verborum pondere ait in Leuiti. Deus. Non periurabis in nomine meo, neq; pollues nomen Dei tui: ego Dominus. Quocirca, neq; sub vlla id forma licet. Haud enim leuius est, quàm mortale, deierare per creaturas, etiã quatenus referuntur in Deū, vt per coelum, vel per terram: per vitam, vel salutem tuam, aut alienã. Nam qui hoc modo iurat per creaturas, iurat in virtute per Deum: vt in can. Etsi Christus de iureiurãd. bene agnouit Innocen. Quin verò Christus ipse hoc nos apertè docet, quòd qui iurat per coelum, iurat per thronum Dei: & qui per terram, per scabellum pedum eius. Qua subinde ratione & per capillos iurare, admoniti illic sumus esse re vera iuramentum. At forsan quis contra obijciat Iurare per vitam meam, aut per salutem, non est, vel Deum, vel eius creaturam in testem adducere, sed creaturam offerre supplicio, vt supra dictū est: id quod non apparet æstimandū vt mortale

*Chrysof.*

*Leuit. 10.*

*De iure*

*iur. can.*

*Etsi Cbristi*

*stus.*

*Obiectio.*



tale crimen. Respondetur autem, quod quamvis  
 nulla alia illic subesset culpa, peccatum mor-  
 tale esset, sic vitam morti adigere, cuius ho-  
 mo non est dominus: sed tamen nihilomi-  
 nus & Deus sub illa execratione in testem  
 accersitur, qui alias poenam illam de nobis  
 sumat. Sed adiecimus, neque aliquo modo:  
 quonia siue serio, siue ioco falsum iuretur,  
 periurium est mortale. Imò (vt pie probeque;  
 S. Th. 22. q. 98.) qui ioco  
 periurat, maiorem quandoque irreueren-  
 tiam Deo irrogat. Et quacunq; intentione,  
 nempè, siue qui iurat, propositum habeat  
 obligandi sese, siue secus: imò quamvis non  
 intendat iurare, sed decipere, consulto pro-  
 ferens iuratoria verba, reus fit mortalis cri-  
 minis: quia re vera deierat. Et in existimatio-  
 ne aliorum Deus profertur vt testis falsus.  
 Attamen, qui neque iurare, neque decipere in-  
 tendit, sed exempli gratia, iuramentum pro-  
 fert, aut docendo, aut admonendo: Vel ridi-  
 culis vtitur iurationis formulis, vt per vitam  
 equi, aut canis: aut Hispanorum idiomate,  
 ait: Iuro a diez, nullum admittit peccatum:  
 sed tamen illo modo sternitur via ad iura-  
 menta. Moderati sic tamen sumus conclu-  
 sionem, quod nisi fit iusiurandum perfectum,  
 vtpotè deliberatum, non est mortale. Nam  
 qui



qui ex subreptione, aut lapsu lingue raptim deierat, non sibi mortem consciscit spiritua- lem: quoniam vt ait August. eo vsq; pecca- tum, voluntarium malum est, vt nisi sit vo- luntarium, nō fit peccatum. Atqui, si in alijs vitijs subreptitius actus non constituitur in ordine mortalium, multo minus in his quæ committuntur perniciosissimo volatu linguæ. At verò vt scitè illic subdit D. Tho. neq; præ- cipitatio, neq; lapsus linguæ excusat à mor- tali, dum antecedit aduertentia. Etenim qui aduertit se iurare, & falsum esse quod iurat, non excusatur à mortali cōtemptu. Ex quo fit, vt qui ob cōsuetudinem, in quam se pra- uè immerfit, animaduvertere negligit, citraq; iudicium iuramenta effutit, ille talis, dum falsum iurat, non excusatur à mortali. Sed ille penitus, cui, non socordia, dum tempus habet aduertendi, sed repentina animi pro- cella linguam dissoluit. Et est indicium non præcessisse culpam, quādo statim subsequi- tur poenitudo. Quin verò adnotandum est hic præterea, vsq; adeò esse veritatem iura- mento necessariam, vt qui rem sibi quoquo pacto ambiguam, etiam si vera fortè fit, pro certa iurando asserit, periurus fiat, & letali- ter delinquat. Haud enim adhibendus est Deus in testem, nisi vbi certus est animus.

*Iurare in  
certa pro  
certis.*

At verò



*Trina iu-  
ramenti  
intentio.*

At verò quoniam intra lineam mortalis culpe varij sunt gradus, iudicio sunt hic subsequenter discernendi. Ex triplici enim capite aggrauatur, attenuaturvè, improbitas periurij. Primo ex animo & intentione iurantis. Enimverò cum periurium, idem (vt diximus) sit quod mendacium iuramento firmatum, de natura mendacij expendenda est periurij nequitia. Vnde eodem sæpè citato sermone Aug. Deo, inquit, fortè soli competit iurare, qui non potest peierare. Homines enim falsum iurant, vel cum fallunt vel cum falluntur. Subdit ergo trifidam iuramenti intentionem. Aut enim quis pro vero id iurat, quod falsum est, credens esse falsum: & hoc est tam materialiter, quàm formaliter, atq; adeò simpliciter periuriũ: quoniam & materia, quæ iuratur, falsa est: & intentio simul, quæ actionẽ informat, fallax. Aut pro vero iurat id, quod in re verum est, sed credit esse falsum: & tale iuramentum, non quidem materialiter, sed formaliter est periurium. Vnde quia actiones ab intentione fortiuntur species, nihilo est minus scelestè, posterius hoc periurium, quàm prius: quippè quod mendacium in rei qualitate, quæ asseritur, non consistat, sed in eo quod ore itur contra mentẽ. Adde hic illud quod paulo



paulo antè diximus:nempè, quod pro certo id iurare, quod ambigis periurium est, etiam dum verum fortasse est. Tertius autè modus est, dū quis pro vero id iurat, quod re vera falsum est, sed tamen credit esse verum:qua quidē ratione minuitur, imò nonnunquā omnino excusatur culpa. Est enim illud materialiter tantum, sed non formaliter periurium: quod ideo non est sub vniuersali nostra conclusione comprehensum. Nihilominus tamen neq; hoc censet Aug. absq; temeritate fieri. Est enim tam diligens faciendum examen ante iuramentū, vt nunquam, aut vix vnquam, falsum iuretur citra leuem saltem culpam. Attamen & inter mortalia periuria sunt alia alijs leuiora. Eleuatur enim malicia periurij, non quidem ex parte materiæ, nihilo enim leuius est, falsum iurare in re minima, puta, quod non risisti, quàm in re grauiissima: quando quidem falsitas, nō recipit magis & minus. At verò quo finis est magis pius, causa uè, decentior, aut vehementior metus, eo fit remissior culpa. Nam qui metu mortis periurus fieret, minus delinqueret, quàm qui exiliori id formidine admitteret. Et longè minus, qui ad deliberandam totam rempublicam, vel ad seruandum aliquem à perpetua morte tale

commit-



cōmitteret peccatum. Et pari modo, qui ex ignorantia, quanuis esset culpabilis, collaberetur in periuriū, dignior haberetur venia: secundū illud Pauli. Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & cōtumeliosus, sed misericordiā Dei cōsecutus sum, quia ignorās feci in incredulitate. Itaq; q̄cunq; causa libertatē imminuat, vt sunt secūdū Philosophū, metus, vis, & ignorātia, extenuat quoq; per iurij culpā: sed tamen vbi adest deliberatio, semper est mortalis. Nisi tāta præierit ignorantia, vt quis absq; culpa id verū existimet, quod est falsum. Et præterea, ex forma iurandi alleuiatur quoq; reatus. Etenim, vt grauius est per creaturas, tanq̄ per falsos Deos peierare, q̄ per verū Deū, ita tolerabilius est, per creaturas in Deū relatas falsum iurare, vt per coelū, per terrā, & per vitā, q̄ per Deum ipsum: quoniā minor multo est irreuerētia, mortalis tamē vt diximus. In hāc sententiā, *2. 2. q. 1. can. Si aliqua. Illud ex imperf. Chryf. Vbi reprehēduntur, qui pluris faciūt iurare per Euangeliū, q̄ per Deū: cū tamē maior sit Deus, qui sanctificat Euangeliū, q̄ Euangeliū quod sanctificatur à Deo.* Et *can. Mouet etiā habetur quod periuriū tāto magis poenale est, quāto sanctius illud per quod iuratur apparet. Vnde maiori se subijcit*



subijcit poenę, qui iurat per Saluatorē mendaciter, q̄ qui iurat per creaturas. Quin verò (id quod asterisco designandū est) hom. 27. *Chrysof.* ad populū: hac ratione cōsulit Chryf. minus *Hom. 27* malū ad euitandū maius: nēpē, q̄ qui os cōpescere satis nequit à iuramētis, per seipsum iuret: nō quod hoc nō sit verè iuramentum, atq; adeò mortale, dū est periuriū, sed quod exilius est, & leuius, q̄ iurare per Deū. Est tamē documentū hoc tali grano salis cōdiendū, vt cætera sint paria. Nam (vt perspectè S. Tho. 2. 2. q. 98. admonuit) grauius peccatū est, si quis solēniter iuret per Euangeliū, q̄ si per Deū in cōmuni sermone, tum propter scandalū, tum propter maiorē, quā illuc affert, deliberationē. Sed æqualiter omnibus hinc inde pensatis, grauius est, si quis per Deum, q̄ si per Euangelium peieret.

C A P. VIII. De enormitate assertorij periurij.



O S T hanc de gradibus periurij speculationē, quoniā dictum est, intra lineā mortalis criminis cunctos ambiri, subsequitur, vt huius criminis enormitatem

E explicata



explicatius meditemur. Patefcit enim quàm fit scelus hoc execrabile, primum ex sua ipsius natura & substantia, qua diuino numini ex diametro aduerfatur. Est quippè Deus, tum veritas prima, tum & fuma bonitas: & in vtramq; foediffimè impingit periu- rus. Etenim qui Deum in testimonium fal- fi traducere audet, quid nam eum putas te- meritatis admittere? Perinde facit, ac fi co- gitaret, ipfiffimam veritatem fuam peieran- tis ignorare mendacium, aut infinitam Dei probitatem prudentem ac scientem menda- cio suffragaturam: & alterutrum æftimes, ecquid excogitari poffet impius? Perinde inquam facit: nam etfi (vt habetur in gl. fu- per illud ad Ephes. 4. Blasphemia tollatur à vobis) non omnis periurus dicat, aut fentiat aliquid falſum de deo: aliàs omnis eſſet blaſ- phemus, tamen confidit quòd Deus coela- bit eius mendacium, nullo illud prodendo patenti ſigno: & propterea non diximus q̄ ſentiat, deum vel iuſtium eſſe, vel mentitum ire, ſed quòd perinde faciat, ac ſi Deus, vel rem ignoraret, vel ſuffragaturus eſſet men- dacio. Obidq; (vt habetur in Leuit.) Omnis periurus polluit nomē Dñi: nempè, quia ni- torem & ſplendorem candidiffimè veritatis eius, quantū in ſe eſt, deturpat. Igitur quem

hæc



hæc impietatis absurditas nõ pudefacit, nihil mirũ, si neq; infernorum ignis deterreat: quandoquidem minor arbitandus est inferni metus, quã huiusce immanitas facinoris. Contemplare quæso, si regem ad contestandam falsitatem, nõ solũ citares, sed in iudicium cogeres, vt præsens tuum tibi assentiretur mendum, vtrum esset tam impudens iniuria ferenda. Vel si sanctum de coelo euocares. Vel fac Christum redemptorem nostrũ in terris agere. Si quis tanq; sue falsitatis fideiussorem sisteret ante iudicẽ, & præsentem sciscitaretur, num illud à se assertum verũ esset: ac subinde suaderet, vt idẽ attestaretur, nunquid nõ mereretur impurissimus ille, vt terra viuentẽ deuoraret. Hoc ergo de te ipse reputa, dũ peieras. Asciscis enim viuentẽ in sæcula sæculorũ, quẽ præsentẽ & audientẽ, nõ vereris testẽ falsi inducere, qui dissimulando & tegendo mendaciũ tuũ, quasi tibi subscribat. Deprehenditur secundo periurij *Secundũ* grauitas per cõparationẽ ad alia delicta. Est *medium.* enim licet, nõ vsq; adeò peruersum, vt blasphemia, grauius tamen offensionibus cunctis & iniurijs, quæ in pximũ inferũtur, etiã homicidio, si S. Thom. in quol. ar. 18. & alijs *S. Thom.* cõpluribus credatur. Cuius ratiões in pro- *quol. 18.* patulo sunt. Est nãq; periuriũ, præuaricatio



præcepti prioris tabulæ, vt supra diximus, qua eius detrahitur honori & reuerentiæ: huiusmodi autem iniuriæ, immaniores illis sunt, quibus offenditur proximus. Neq; vilius est ponderis argumentum, quod cõtra obijcitur: eo scilicet, quod tunc sequeretur, acerbius esse crimẽ, violare diem festum seruii opere, quàm hominẽ enecare, eo quod mandatũ de seruandis festis attinet ad priorem tabulam. Nullius inquam vigoris est argumentum hoc: quoniam festorũ præscriptio, quæ ab Ecclesia seruantur, non est de iure diuino, sed de iure dumtaxat humano: & ideo violatio festi non est tam graue peccatum, q̃ vel homicidium, vel furtum. Qui verò id quod iure diuino de celebrandis festis cautum est, transgrederetur, grauius q̃ homicida peccaret: puta qui nullum in tota vita feriat tempus, quod dicaret diuino cultui. Adiungitur & secunda ratio, qua demonstratur periurium iniquius esse homicidio: aliàs enim nõ esset iuramentum, finis omnis controuersia, vt ait Paul. Nam si minus esset peierare, q̃ occidere, aut adulteriũ facere, nunq̃ deferretur homicidæ iuramentum calumniæ, neq; verò adulteræ: quoniã coniectura esset, vt per periurium, tanq̃ per exilius peccatũ, maiora cõtegerent crimina.

At verò



At verò fuit semper omnibus gentibus tam sancta, tamq; solemniter cùlta iurifiurandi religio, vt quæuis agatur causa iurifiurandi beneficio, vel tractetur, vel expediatur. Sed est fortè qui contra insurgat, vbi quis de hæretica defertur prauitate: quanuis iniquior periurio sit ab eo nihilominus exposcitur iuramentum calumniæ: ergo hac præcedenti ratione non satis concluditur, periurium peius esse alijs peccatis, in quorum causis defertur iuramentum reo. Respondetur, quòd hæresis, error quidam est intellectus, & ideo hæreticus, licet per ignorantiam aliquid de Deo falsè diffiteatur, confitetur nihilominus reuerentiam ei debitam: quapropter in sua existimatiõe grauius est periurium, quam id, in quo per ignorantiam est delicto, ac proinde, dignus existimatur, cuius iuramento habeatur fides. Animaduertant ergo qui temere & passim absque vllò discerniculo iuramentis perfluunt, quot necesse eos est diffundere periuria: nam (vti capite superiore dicebamus) si quis absque vlla consideratione firmiter id iurat, cuius non est certus, periurus est: & secum subinde reputent, ac perpendant, si tot hominum cadauera prosternerent, quibus digni essent supplicijs. Etsi his quæ



dicta sunt fidem adhibent, inde colligant, quāto Deum maiori tædio periurijs, quān cædibus afficiant, quantoq; acerbiores re- pensuri proinde sint poenas in alio sæculo. Nam si in hoc nō tā dire animadvertitur in periuros, quān in sicarios & latrones, in cau- sa est ( vt cap. 6. præfati sumus ) benignitas Dei, quippè cui tanta est nostri cura, vt cru- delius plectendos eos velit, qui de nostra nos pace deturbant, quān qui in suam ip- sius deitatem sacrilegi sunt & impij. Quam- obrem nostra vicissim deberet esse pietas, vt magis eum reuereremur, quān metuere- mus homines. At sumus contra vsque adeo sensibus dediti, vt ea prorsus extimesca- mus, quæ sunt ante oculos: illa verò, quæ nos manent in alia vita truculentiora tor- menta, nihil æstimemus. At verò non abs- que considerata ratione, vbi in Exod. ad- monitos nos Deus voluit, ne nomen eius in cassum assumeremus, statim subdit. Neque enim habebit in fontē Dñs eū, qui assumpse- rit nomen Dñi sui frustra. Accedit tertio in cōfirmationē & demonstrationē grauitatis periurij, poenitentia, quæ iure canonico per- iuris grandis decernitur. Enimvero. 22. q. 1. can. Mouet. admonemur poenā periurij esse grauissimā: quā si quis timens, ad confessio- nem

Exod. 20.

Tertium  
medium.

22. q. 1. cē.  
Mouet.

nam



nem venire noluerit, à fidelium consortio est abiciendus. Vnde in cano. subsequenti Euticianus Papa. Prædicandum est inquit, vt periurium fideles caueant, & ab hoc summo opere astineant, scientes hoc grandè scelus esse, & in lege & in prophetis & in Euāgelio prohibitum. Et subdit imponendam esse de periurio poenitentiam, qualem & de adulterio & de fornicatione, & de homicidio sponte commisso. Et. 6. quæst. 1. Fauianus Papa, eandem definiens poenitentiam, ait, quòd quicumq; sciens periurauerit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos poeniteat, & nunquā in testimoniū recipiatur. Et. 22. quæst. 5. ha- 6. q. 1. Fa-  
betur quòd etiam si quis coactus pro vita uianus.  
redimenda, vel pro qualibet causa vel necessitate periurat, quia plus corpus q̄ animam dilexit, tres quadragesimas poeniteat. Contemplare quanto olim cū horrore & tremore periurij ad sacramentum accedebant, & & tamen hac nostra tempestate nō se arbitratur iustam viri ætatem attigisse, qui non suum, vel colloquium, vel vaniloquiū iuramētis refarcit. Adde, q̄ & periuri infames ha- Periuri,  
bētur utroq; iur, vt. 6. q. 1. can. quicumq;, & cā. infames.  
Infames, & extra de testib. cap. Testimoniū.  
Ita vt non sint amplius admittendi in testes.



Quin verò vsque adeò sunt de infamia notati, vt inhábiles iure habeantur ad sacerdotia suscipienda, & ad regendas ecclesias: *Extra de iure. cap. Quærelã.* vt habetur de iure iurand. capitul. Quærelã. lam. Ad hæc tandem, si Pauli decreto interdicitum nobis est cum maledicis commisceri, aut cibum sumere, cur non longius à pestiferis periuris abscedamus? *1. Cor. 3.*

*Periurii damna.* ¶ Patescit & quanta sit immanitas huius vitij per eius effectus & dāna data. Primùm enim periurus subvertere mollitur, funditusq; euertere humana comertia. Nam (vti capitul. 2. dicebamus) firmissimum stabilimentum humani conuictus est dictorum fides, conuenentorumq; constantia, atque tunc maximè, quando iusiurandum intercedit: ergo quem non solùm naturalem fidem infringere, verum neque sacrosanctam firmitatem iurisiurandi temerare formidat, fundamentum tollit, quo tota res publica nititur. Nam cui homines se & sua concredant, si iuriurando non fidunt? Vis perspicere quanti habenda sit in republica dictorum fides & constantia. Animaduer-  
*De duello* te quàm sint impatientes illius iniuriæ ingenui & nobiles, dum sibi obijcitur esse mentitos. Pròtinus enim iniurium euocant in duellum, ac si, illa accepta iniuria, tota



tota nobilitas corruat. Expende tamen peruerfitatem. Conuictum illud non est dignum morte, vbi leue mendacium obiicitur: aliâs per legem posita esset illi poena capitis. Quod si non est morte dignum, iniuria est cæde illud vlcisci: etsi est iniuria, nullus inde prouenit honos, sed infamia: quia honoris titulus soli virtuti debetur. Et tamen patroni isti nobilitatis, qui tam acri animi aduersione impositum sibi mendacium propellunt, non solum pro re minima decies mentiuntur, sed centies, si opus est, deierant: non attendentes, illam esse geminam nobilitatem, non quidem ab eo poenam repetere mortis, à quo mendacij redargueris, sed citius mortem appetere, quam mentiri. Sed, vt ad propositum reuertamur, non solum periurus rem publicam euertit humanam, sed Deum ipsum facit huiusmodi euersionis auctorem. Homines enim ob reuerentiâ Dei non aliud deposcunt firmamentum cui confidant sese, quam iusiurandum: ob idque dum in perniciem proximi iuras, non solum diuina charitatis iura præuaricaris, verum Deum ipsum, nostri amantissimum accersis, per quem nocas proximo. Hæc ergo tam absurda, tamque detestanda, & extimescenda mala, aliaque his peiora, quæ effari vix possumus, periuriis



connexa, si Christiani perpenderent, impossibile esset, vt non omni cura & vigilia à iuramentis cauerent, ne in periuria collaberentur. Sed de his plura in subsequentibus.

C A P. I X. *de gradibus iuramenti promissorii.*



Secundus comes iuramenti constituitur iustitia: hæc verò qualiter fit in assertorio seruanda, non est presentis loci disputare, sed admonuisse sat est, nequitiam esse diffamare proximum, prodeundo occultas eius labeles, nisi vbi legitima sit cõpulsio: quibus autem casibus legitima sit, in relectiõne nostra de ratione tegendi & detegendi secretum satis superq; discussum à nobis est. Quod igitur ad destinatum nobis hîc munus inseruit, est iustitia, quæ iuramentum promissorium comitari debet. Exposcitur enim ad honestatem iusiurandi huius, vt id quod sub iuramento vouetur non modò licitum, sed & condecens præterea sit. Atqui hac assistente iustitia, iuramentum obligat: atque adeò si tempore &



& loco non expletur, eo tunc tempore, qui iurauit, fit, tum fedifragus, tū ideo iniquissimè periurus. Quocirca non illa solūm opprobria, quibus superiori capite assertoria periuria reprehendimus, verūm cumulatiora possunt aduersus periurium huius generis promissoriū congeminari. Nam cū vita humana sine pactis & conuentis in futurum seruandis, trasigi nequeat, præsentissima est reipublicæ pernicies, non seruare promissa, sed multò magis sacrilega impietas, fidem frangere, quæ fuerit iure iurando firmata. Laudauit ægregio preconio Gentilitas Romanum illum Regulum: qui, fide Carthaginensibus impignorata, dimissus est Romam, vbi postquam illam persuasit sententiam, ne eorum legati remitterentur, reuersus est Carthaginem, vt capitis periculo suam fidem apud hostes liberaret. Et tamē ille non iurauerat per eos qui essent dii, sed deorum monstra. Quanto ergo maiori fide & religiōe tenetur Christianus stare iuratis pmissis? vtpote q̄b⁹ Dei nomē, veluti in pign⁹ obligauit, ipsumq; Deū spōsorē dedit, & vadimoniū? Iurauit Deus p̄ semetipsum ad sponsonē suam confirmandam de mittēdo ad nos filium suum, quod vt nobis persolueret iusiurandū, vnigenitū suum



suum demisit in mundū vltimo crucis sup-  
 plicio obnoxium: & audeat Christianus si-  
 mile violare iuramentum? Accipe totam hu-  
 ius sceleris summam, quam super Ezechie-  
 lem Hierony. & in quadam homel. ad po-  
 pulum Chryf. pientissima emphasi meritif-  
 simo cōmendant. Vnum huius generis per-  
 iurium causa fuit Hierosolymitanæ ruinae  
 dum à Nabuchodonosor prostrata est, &  
 acerrima captiuitate oppressa. Lege Chryso-  
 stomū. Hierusalem, inquit, ciuitas Dei, fan-  
 ctorum archam habens, & omnē illum cul-  
 tum: vbi prophetae fuerunt, & spiritus gra-  
 tia: vbi angeli sæpe incedebant: quæ ciuitas  
 innumeris nascētibus bellis, & multis ipsam  
 incurfantibus barbaris, tanquam muro ex  
 adamante circumdata, sic omnes illos sem-  
 per derisit, & in multis peccatis & idolola-  
 triis veniam assequuta est, tandem ob vnū  
 sedechiæ regis periuriū deletur, & in capti-  
 uitatem reducitur. Historia est. 4. Reg. 24.  
 quemadmodū Nabuchodonosor transtu-  
 lerit Ioachim regem Iuda in Babilonem ca-  
 ptiuum, & post cōstituerit Matthaniam pa-  
 truum eius pro eo, imposuerit q̄; ei nomen  
 Sedechias: qui sedechias iure iurādo obstrin-  
 xit illi fidem se non recessurū ab eius amici-  
 tia. Et post, quia contemerato iure iurando,  
 descendi-



desciuit ad regem Aegypti, tandem desolata fuit ciuitas, & rex ipse cum gente in Babilonem traductus: vt legitur cap. sequenti. 25. sed copiosius multò apud Ezechielē cap. 17. & Hierē. 38. Perspice quē admodum Deus, qui toties illi populo idololatriæ impietatem condonauerat, tamen quoniam Sedechias per diuinum eius nomen seruaturum se fidem regi iurauerat, quālibet ethnico hosti, idq; iusiurandum defregit, non tulit illam iniuriam, sed quo diuinum honorē suū vlcisceretur, & regem & sacrosanctā, in qua ipse colebatur, urbē tradidit in manus Gentilium, qui sibi aliās erant inuisissimi. Vnde eousq; colenda est sanctitas iuramenti promissorij vt etiam si vi sit ac iniuria extortū, dum tamen licitè implere possit seruandū est, vt si te latro sub diu inuadens iuramēto obstrinxit, vt promissā pecunia vitam redimeres, soluere teneris: licet possis vel dispensationē procurare, vt habetur de iure iuran. cap. Si verò. & cap. Verum. vel post eandem pecuniā iure repetere. Hæc illos admoneri hīc oportebat, qui lege quidpiam arbitrantur, iurata fidem obrumpere. Attamen (vt. 4. cap. adnotauimus) multò peioris notæ infidelitas est, quando quæ Deo ipsi uentur, non illi persoluuntur. Quare stoma-  
chum

*Vota non  
temere fa-  
cienda.*



chum euomere dignè fatis nequeo, quem aduersus impudentissimã eorum temeritatē cōcepi, qui tanta linguæ præcipitatione vota Deo & iurata fundunt, quæ poenalia in scholis appellãtur: quorum vix vnum in vno seculo seruatur. Si cui alea in ludo malè cecidit, statim se iurato voto reuincit: vt si deinde aleam, vel tetigerit, Romam & Hierosolymas se peditem inuisurum, monachatumve professurum. Si fortè quidpiã aduersi, vel ab amico vel alia fortuna sibi obtigerit, simili se statim voto talibus occasionibus priuat. In qua temeritate quantum insit peccati, non est explicatu facile. Primùm vt de vinculo huiusmodi votorũ dicamus, tres voti species arbitror discernendas. Primo enim loco est votum absolutum: vt si dicas, voueo monachatum. Et secundum est, conditionale: vt, voueo monachatum si pater meus obierit. Et tertium est hoc, de quo loquimur, poenale, ab vtroque aliorum iudicio meo differens. Nam qui, vel absolutè, vel conditionaliter quicquam vouet, in animo habet & desiderio illud assequi, tanquam sibi gratum: sed, quia pater (exempli gratia) obstat, adhibetur conditio ipsius mortis. Qui autem, veluti in poenam sibi proponit,

*De voto -  
rũ vincu-  
lo trium  
specierũ.*



ponit, aut peregrinationem, aut monachatum, non ideo id facit, quod sibi cordi illa religio: imo verò quia ingrata est & molesta, imponit sibi illam in poenam, qua deterreatur ab alio opere. Vnde fit mihi consequens, quod licet, neque in absoluto voto, neque in conditionali religionis, aut peregrinationis Hierosolymitanæ inferior summo Pontifice dispensare valeat, tamen *De dispē.* in voto poenali, antequam opus illud ad- *votipœ-* mittatur, quod sub tali poena interdictum *nalis.* est, potest quidem Episcopus dispensare. Cuius ratio est, quia non est directum votum monachatus, sed est poena: & ideo potens dispensare in voto directo, puta non ludendi, vel non faciendi hoc, aut illud, potest à poena illa hominem liberare. Sed tamen postquam conditio illa revera posita est, atque adeo homo vinculo alligatus, semper ambigui, an posset Episcopus dispensare: & nunquam possum non propendere in partem negatiuam, quoniam postquã quis iam obligatus est in religionem vi voti & conditionis opere impletæ, non video cur quis citra Papam dispensare queat. Sed esto esset dispensabile idcirco quod est poenale, hæc nihilominus est absurditas, & nescio an dicam impietas, huius-



huiusmodi votorū, quod insignem secum  
 afferunt contemptum Dei. Vereretur enim  
 quis similibus se promissionibus obligare  
 ingenuo viro, quin uero amicorum cui libet  
 si post non perficeret promissum: & tamen  
 Deo (absit impudentia verbo) veluti bubul-  
 co suam tales homines adstringunt fidem,  
 quibus ob id quod votum emisserūt, libido  
 magis ac magis ascenditur faciendi illud, à  
 quo se cohibere volebant. Multi se sub iure  
 iurando à ludendo prohibuerunt, quo, si id  
 non iurassent (vide sceleris turpitudinem)  
 facilius abstinuissent. Et postquā se iure im-  
 pletæ conditionis deuinctos sentiunt, nemo  
 est qui vnquam cogitet, voto satisfacere, sed  
 fecisse satis existimant, si verā, vel fictam di-  
 spensationē procurent, & votum Hieroso-  
 lymitanum exiguo numo, aut alia leuicula  
 alia poenitentia redimant. Obsecratos ergo  
 vellem, & per honorem Dei cōmonefactos  
 Christianos vniuersos, vt ab hac, Deo inui-  
 fissima vouendi leuitate abducant sese: inde  
 nimirum conterriti, quod animaduersione  
 grauissima exacturus poenas Deus sit teme-  
 ratæ fidei, quæ sibi semel fuerit obligata. At  
 non est præsentis capituli de iure iurando  
 promissorio, quod legitimum est, sermonē  
 protrahere, sed de iniustitia, quæ in ipsa iu-  
 ratio-



ratione solet interuenire, qua ratione nullo in futurum expectato tempore, iuramentū ipsum, dum emittitur, fit periuriū. Requiritur enim (vt dicebamus) ad honestatem iuramenti, vt id quod iuratur, sit, & licitum & præterea decens. Hanc siquidem ob rem qui perperam iurauit, iniuriam se priuata authoritate vltum ire, etiam si votum re cōpleturus sit, periurij reus est, nō quod veritate, non expleuerit iuramentum, sed quòd id iurauerit, quod fas non erat perficere. Sunt veruntamen, vti in periurio assertorio, ita & in isto inæquales gradus, imo verò aliter quàm illic, diuersi. De quo igitur fit prima conclusio. Nullum hoc modo promissorium periurium, est obligatorium. Conclusio hæc à nomine ipso fit statim manifesta. Cōmittitur quippe promissorium periurium vbicunque aliquid promittitur, quod est impletu, vel illicitū, vel de decens: ad id autem quod vel iure prohibitum est, vel diuinis consiliis obstat, neminē Deus obligat: nulla ergo in huiusmodi iuramentis inest obligandi vis. Hanc eandem cōclusionē confirmat can. Gregorij Nerui. D. 13. ca. distinct. 13. & præcedens. Duo mala ex concilio Toletano. Vbi definitur, minus malū esse, iuramentū noxiū frāgere, q̄ implere.

Conclu-  
sio. I.

D. 13. ca.

Duo ma-

la. & ca.

Nerui.



*Secunda cōclusio.* Secunda conclusio. Omne promissorium periurium est peccatum. Conclusio etiam hæc ex proxima palàm fit consequens. Nam ubi quis iuramento id firmat, quod solvere, aut non licet, aut non debet, ociosè & perperam vsurpat nomen Domini, atque adeò reuerentiæ eius ac venerationi derogat.

*Tertia cōclusio.* Tertia conclusio. Omne promissorium periurium rei sub reatu mortalis criminis prohibitæ, est peccatum mortale. Exempli gratia, si quis sub iuramento operas suas spondeat in adulterium, vel furtum, vel homicidiũ, letaliter delinquit. Conclusio per ea quæ dicta sunt evidens fit. Etenim si huiusmodi iuramentũ complere, peccatum mortale est, idem peccatum admittitur, quando iuramentum præstatur: eadem quippe ratione, qua res interdicitur, prohibetur & iuramentũ eiusdem patrandaæ rei. Ex quo fit, quòd quanuis adimpleatur, nihilominus non desinit esse periuriũ: quandoquidem huiusmodi periurium nullatenus ex futuro pendet, sed statim committitur, dum fit. Imò verò subsequitur secundo, vt dum adimpletur, non solùm congeminetur facinus, eò quòd additur priori periurio delictum recens, verùm huiusmodi per se adimpletio, puta homicidium,

gra-



gravius crimen sit, quia fit illo fine, vt impleatur iuramentum, quàm si citra iuramentum committeretur. Contumelia namque Dei maior fuit, dum Herodes propter iusiurandum occidit Ioannem, quàm si solo rogatu Herodiadis id perpetrasset.

Quarta conclusio. Promissorium periurium, si citra mortale crimen potest impleri, non est nisi veniale delictum. Ex-

*Quarta  
cōclusio.*

empli gratia, si quis iuret mendacium ioco dicturum, non nisi veniale delictum admisit: quoniam si illud re compleat, solùm venialiter peccat. Quod si nos sic re-

*Argumē-*

darguas. Si huiusmodi iuramentum non implatur, fit falsum: omne autem iuramentum falsum videtur esse peccatum mortale: dum autem impletur, peius est quam si non adimpleretur: ergo siue impleatur, siue secus fiat, mortale peccatum est. Negatur illatio. Hæc enim culpa promissorij periurij ( vt idem identidem resumamus ) non vti in assertorio pensanda est: quoniam illic solùm hoc attenditur, vtrum quod iuratur falsum tunc sit, an verum: in promissorio vero, sit ne licitum, necné: & ideo perpendenda est culpa, non penes falsitatem, sed penes iniustitiam rei: & quia qui iurat, veniale se opus

*tum.*



facturum, non se illaqueat ne iuramentum implere possit, nisi tantum sub reatu veniali, non peccat dum iurat, nisi venialiter. Quod quidem peccatum duplicatur, si impleatur iuramentū. Ex quo fit quòd quanto id quod promittitur grauius peccatū est, tanto auctior fiat periurij culpa. Et subsequitur rursus, vt etiam sit venialis culpa, impedimenta iurare, quæ officiis consilij obstant: vt nullus habitum indui religionis, & nullum præstare officium misericordiæ: quando tale officium non fuerit in præcepto: nam absolutè talia sub iuramento polliceri, etiam dum præceptis obuiant, mortale scelus est.

**C A P. X. de grauitate promissorii periurii.**



**H** I S ob oculos præpositis, expendēda enormitas est hui⁹ generis piurij, qd' aliter q̄ assertoriū, periculosum ac pñtiosum est. Eteḿ quādo iuramētum promissorium iure & more fit, tunc fit periurium (vt paulò ante dicebamus) quādo non impletur.



pletur. Attamē dum res iniusta iuratur, eadem ipsa iuratio, est periurium. Huius autem generis periurij, vt eius immanitatem conspicias, substantiam primum perspēctē considera. Quidnam te dicere cogitas, dum iurando proponis homicidium, vel qualecunque aliud flagitium te facturum? Idem prorsus acsi dixisses. Voueo talē Deo irrogare iniuriam contra eius voluntatem & legem: & quo firmissimus meus animus in hac nequitia persistat, diuinum ipsius numen imploro, quòd testis mihi sit, & fideiusfor. Intelligis ne dementiæ genus? Consulto enim, ac meditato quicquam constituere cōtra Dei voluntatem, grandis nequitia est. Sufficere quippe deberet humanæ libidini, vt dum de improviso nos furor corripit, transfuersos daret: tale autem contra Deum consilium eius testimonio & vadimonio sic constabilire, vt firmitus nequitia prodat in opus, exorrēdus ausus est, & inefanda temeritas. Atqui solent, quod iniquius est, nequam isti peieratores, dum post commonefiunt, vt votum rescindant, iusiurandum quod fecerunt, sibi obtendere, quasi illius vinculo adstringantur, re id præstare, quod iurarunt. Neque cæci intuentur, non solum iureiurando illo non teneri, verum



longè turpius in Deum delinquere, qui ius simpliciter transgreditur, quàm qui id facit, quasi reuerentiam illi exhibens iuramenti. Pespice apud Chrysostróm. in homiliis ad populum quas consueuerint strages facere, huiusmodi periuria. Vouerat *Indic. ii.* Deo dux ille priscus Iepte in bellum aduersus Ammonitas proficiscens, quod si eos sibi in manus traderet, quilibet ei reuertenti obuiam à foribus domus suæ egredere-  
*Mar. 6.* tur, eundem in holocaustum se oblaturum. Occurrit illi prima, vnica filia, & eam morti ob emissum votum adegit. Simile vsu venit Herodi qui propter iusiurandum caput amputauit Ioanni Baptistæ, quod quidem caput consulit Chrysostróm. præ oculis semper nobis habendum, vt ab hac iurandi temeritate abstineamus, quæ tam nefandi facinoris causa fuit. Igitur primus prudentiæ gradus est, nihil polliceri antequam illud scitè noueris, quod promittis, iuxta Christi redemptoris nostri documentum: qui vxori Zebedei nihil spopōdit, nisi percontatus quidnam rei efflagitaret. Secundum autem hunc alius est gradus, quem nos exemplo docuit sapiens ille Salomon. Hic enim pollicitus facilè matri quicquid *3. Reg. 2.* peteret, dum intellexit iniquè postulare matri-



trimonium Abifag, Adoniæ, retractauit  
promissum. Nam vt dixit ille olim Lacon. *Agésilas?*  
Si quod promissi iustum est, rectè quidem,  
sin autem, dixi, sed non promissi. Enimue  
ro existimare, iniquam pollicitationem im-  
plendam esse, simplex error est: sed arbitra-  
ri quòd iniquum iuramentum aliquo modo  
obligat, sacrilega est dementia. Fit autã tunc *Döcertan*  
ferocior ac pestilētior bellua hæc, dum con- *tiū iura-*  
tentiosè inter duas partes res aliqua vtrin- *menta.*  
que iuratur, hinc scilicet facienda, inde au-  
tem neutiquam permittenda. Ait maritus  
sub iuramento sic se, vel sic facturum: ne-  
gat verò vxor: vel si lubet inter alios ini-  
quiores hostes litem existimare. Tunc bi-  
pennem videas gladium ambos cruentan-  
tem. Sic enim protinus illaqueantur iuran-  
tes, vt necesse fit, vel alterum, vel certè v-  
trunque fieri, periurium. Nam qui succum-  
bit, seu licitè, seu secus iurauerit, iam per-  
iurus est, quia iuramentum minimè com-  
pleuit: qui autem victor euaserit, ille vel  
iniquè iurauit, vel alium irritauit ad per-  
iurium. Quocirca bene eos pueris com-  
parat Chrysoftomus, qui dum filum ad *Chrysof.*  
se vterque trahit, eo abrupto, ambo re- *hom. ad*  
tro cadentes, vulnerantur. Adde quòd *pop. 14.*  
ab huiusmodi cöcertationibus, nō duo, aut



trie enascantur periuria, sed, inflamata bili,  
 ficuti si ambo pugionibus digladiarentur,  
 ita eos cernas alternatis, ac subinde idem-  
 tidem multiplicatis periuriis animas sibi  
 mutuo confodere. In Saule & eius exercitu  
 exemplum illustrè extitit. Iuravit tunc te-  
 1. Reg. 14. merè rex ille, dum præliū in Philesteos ador-  
 naret, maledictum fore qui panem comede-  
 ret, dum vlcisceretur de inimicis suis. Ecce  
 iuramentum iniquum, quo suum rex exer-  
 citum truciori morti famis adegit, quàm si  
 hostili gladio interiret. Filius tum demum  
 Ionathas, beneficio vsus iuris naturalis, mel  
 defatigatus degustavit, quo vires refice-  
 ret aduersus hostes. Adauget rex periu-  
 rium prius peiori altero: nempe quod sup-  
 plicium esset perpeffurus, quicumque edi-  
 tum suum temerasset. Iurat contra po-  
 pulus Ianathæ vitam defenfare, & com-  
 muni omnium periculo protegere. Perspi-  
 ce ergo diabolicam telam, quam rex vno  
 iniquo periurio exorditur, quantis sub-  
 inde cumulatis intexitur: qua veluti pla-  
 ga, tam rex, q̄ populus complicatur. Sic vsu  
 venire solet his, inter quos de re aliqua  
 disceptatur. Ingruere autē potissimè cōsue-  
 uit hæc tēpeftas, vel ab auaritia, vel ab ira.  
 Ab auaritia quidem, inter aleatores: quāuis  
 illo-



illorum periuria plurimum sint, hinc assertoria, inde negatoria. Ab iracundia verò, inter corrixantes: dum sibi mutuo super, fiet, non fiet, contradicunt. Patentissimè enim tunc videas, versutum demonium, incendiū insufflare, vt diuinum nomē dehonestetur, & cōsertis alternè periurijs polluatur. Nam si qua diabolicis spiritibus contingere posset voluptas, nullam aliunde maiorē captarent, quam dum gloriosissimum Dei nomē conspurcari vident, blasphemijsq; in gloriū & ignobile reddi. Quocirca, veluti sathanica organa, ita huiusmodi deberent ora à quibuscunq; obuijs Christianis ambabus palmis obtrudi, ne tartareus ignis, post talia iuramentorum irritamenta inde prodiret.

C A P. X I. De tertio iusiurandi comite  
qui est iudicium.



**P** O S T veritatem & iustitiam, qui sunt præcipui iuramenti comites, consequitur vt de tertio, puta, de iudicio subnectamus sermone. Hic enim est sermo, què præsertim in hoc opere animo de-

F 5      stinaui-



stinauimus. Non quòd omiffio iudicij tanta iufiurandum prauitate vitiet, quanta, vel falfitas, vel iniuftitia: fed quòd vulgo vix hæc deprehenditur circunfpectio, quam iurandi religio exoftulat. Vfq; adeò vt æger rimè perfuafum plebi fieri queat, quòd veraciter iurare, vllò fit pacto vitium. Cùm tamen fi prudentia defit, vel neceffitas non premat, vel pietas non intercedat, eo vſque fit vana & ociofa iuratio, vt præterquam quod excelſum Dei nomen foede contaminat, vſque adeò homines periculo peierandi, ac ſubinde blaſphemandi ſubijciat, vt quiuis iurare aſſueuerit, in patentiffimo fit præcipitatio. Haud enim fatis exiſtimandum eſt ad iufiurandi religionem, verum, certiffimumq; id eſſe quod iuratur, & nullo præterea damnum vel iniuriam inde creari proximo, fed eſt præterea ſummopere cauendum, ne quod nobis diuinitus ob ſummam neceſſitatem componendi lites ac diſcordias indultum eſt, in abuſum abeat & peſtilentiſſimam conſuetudinem. Eo enim iam impudentiæ euafit iſte Dei contemptus, vt non modo nulla expectetur, vel neceſſitas, vel circumſtantia, ſed ſit alijs iuratio, veluti iurationis ornatus, quo putant grauitatem, ſibi & ſeueritatem

*Iuramentorum impudens abuſus.*



comparare : alijs verò , nimirum incon-  
ditis blateronibus, quasi verborum spu-  
ma , qua solent plenius inflare buccas.  
Est utique plærisque multis , ceu sermonis  
parergon, quo solent pictores picturæ mar-  
gines circum ornare . Ad hunc enim mo-  
dum vix iam scit , si Deo placet, Christia-  
na religio orationem citra iuramentum,  
vel inire, vel concludere . Est iam deniq;  
iusiurandum, vt comprehensim dicamus,  
orationis , quod aiunt , sustentaculum.  
Adeò vt qui sermonem & bathologiam suã  
absq; iureiurando confecerit, hiantem sibi  
videatur , & truncam orationem dimissis-  
se . Conferamus ergo huiusmodi religionẽ  
cum veneratione, quæ nomini debetur ma-  
iestatis diuinæ . Tanta fuit semper celebri-  
tate diuinum nomen ab ipsis statim mun-  
di primordijs, vt nõ aliter coepta sit designa-  
ri religio, quàm per inuocationem nominis  
Domini. Sic enim legitur de Seth. Iste coe-  
pit inuocare nomẽ Domini. Et Abrahã, vbi  
pepigit cum Deo foedus, altare perrexit ex-  
truere, vbi inuocauit nomen eius. Sed & Ia-  
cob: dũ luctatus cum angelo eũ rogauit quo  
noĩe appellaretur, respõsum, quasi ore diui-  
no suscepit. Cur queris nomẽ meũ, quod est  
mirabile ? Vnde postmodum Deus , quo  
pro-

*Celebri-  
tas diuini  
nominis.*

*Gene. 4.*

*Gen. 17.*

*Gen. 32.*



prodigia manificaret Moyfi, quæ per ma-  
*Exod. 6.* nus eius ostensurus erat Pharaoni. Ego, in-  
 quit, Dominus, qui apparui Abraham, Isaac,  
 & Iacob in Deo omnipotente, & nomen  
 meum Adonai non indicaui eis. Nimirum  
 quod tanta esset eius nominis celsitudo, vt  
 neq; Patriarchas illos sibi charissimos tan-  
 to fuisset honore dignatus, vt illud eis pro-  
 palaret, quemadmodum erat Moyfi indica-  
*Exod. 28* turus. Et postea, dum de vestimentis & or-  
 natu summi pontificis eundem Moysen  
 edocet, in laminam ex auro purissimo ex-  
 culpi iubet idem nomen, sanctissimum do-  
 mino, & super tiaram fronti eiusdem pon-  
 tificis imminenter colligari, vt esset populo  
 adoratione celebratissimum. Quamobrem  
 solennis deinde fuit illi genti religio, ne no-  
 men illud, Adonai, cuius iam fas esset pro-  
*Adonai.* nunciare, sed Tetagrammaton, hoc est, qua-  
 tuor literarum nomen appellitabant. Id ni-  
 mirum religione illa profitentes, quod vt di-  
 uina maiestas lucem habitat inaccessibile,  
 (id quod in terribili monte Syna crepenti-  
 bus nubibus, ac fulguribus micantibus, &  
 fumante igne, & buccinarum clangore edo-  
 cti sunt) sic & nomen ipsum, ineffabile habe-  
 retur mortalibus. Et tamen postquã Euan-  
 gelicis nobis, non vtcunq; Deus manifesta-  
 uit no-



uit nomen suum, sed verbum ipsum, quod de sua substantia eternum eructavit, ad nos carne vestitum, veluti sensibile nomen, delegavit, in quo loqueretur nobis, non pudet maiestatem sui nominis, temerata iurandi religione, inanibus, ac perfidis iuramentis conscelerare, deturpare, & infamare. Ad hæc quis fando persequi virtutes queat & magnifica verba, quæ de stupendo Dei nomine sacris eloquijs prædicata sunt. Quam admirabile, inquit David, nomen tuum in vniuersa terra: & alio loco. Sanctum & terribile nomen eius. Vnde in Deuter. Nisi timueris nomen eius gloriosum, augebit Dominus plagas tuas. Et Esaias. Vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Cui respondet Paulus, vbi ait: quod exaltauit Christum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, & infernorum. Et rursus idem psalter. Deus in nomine tuo o saluum me fac. Et alibi. In nomine Dei nostri magnificabimur. Cui concinit Ioannes. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius. Et in Proverbio Salomon. Turris, inquit, fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & exalta-

*Psal. 8.*

*Deut. 28.*

*Esa. 9.*

*Philip. 2.*

*Ioan. 1.*

*Prov. 18.*



*Ioel. 2.* exaltabitur. Et propheta Ioel. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Id  
*Psal. 19.* quod identidē repetens Dauid. Nos, inquit, in nomine Dei nostri inuocabimus. Quorū veluti interpres, Christus ait, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.  
*Mar. vlt.* Et apud Marcū. Signa, eos qui crediderint, hęc sequentur. In nomine meo demonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tolent. &c. Et tamen Christiani hoc nomen tam admirabile, tamq; sanctum, terribile & gloriosum, cuius virtute redempti sumus, & inuocatione sustentamur, & spiritualiter vegetamur, quodq; in toto orbe soli confitemur, non pluris ac parte, q̄ reliquæ gentes æstimamus. Quin, nescio an dixerim, omnium impudentissimè profanamus. Nam nulli gentium, tam impia excogitantur iuramentorum exempla, quàm inter Christianos. Ius est preciosissimi nominis Iesu, quod per angelum cœlo delatum est, vt eius sonitu genu flectat trina machina mundi: & tamen abiectius cum alijs promiscuè diuinis nominibus vsurpat illud impudens os vulgi, quam auderent impudentissimi demones. Fuit gentibus, referente Chrysof. inter Prouerbia, vt vbiuis sermo de honesto ac celebri viro contingeret, diceretur, non nisi ablu-



abluto ore de tali viro fandum esse : & tamē de Deo loquentes, nō solūm non abluimus os, verum ita nomen eius polluimus, vt animas nostras letaliter inquinemus. Sed & vicem considera peruersam. Dum orantes adstantus in cōspectu Dei, vbi nos spiritus inflammare deberet, vt toto conamine inuocaremus nomen eius, illic segnitix oscitantes & indormientes, vix possumus illud ore tenere, sed dum nos procella rapit tēpestatis, tunc ira vel alia id genus ægritudine succēsi, fœdissimo ore eadē intonam⁹ diuina noīa. Ad hæc Seraphin, vt est in visione Esaia, in *Esa. 6.* cōspectu Dñi, super soliū sedētis excelsū, alis duabus, secundum Hebræorū lectionē, pedes cōtegunt, vt decentiam referant, qua standum est in diuino cōspectu, duabusq; alijs item caput, quasi indignos se arbitrati, qui immensam Deitatis abisum prospiciāt. Neq; aliud ei sciūt intonare nomē, q̄ sanctus sanctus, sanctus Dñs exercituum : plena est omnis terra gloria eius. Et vt est in Iōā. Apocalypsi. Vigintiquatuor seniores, sedentes *Apoca. 4* super thronos, circumamicti vestimentis albis, coronas, micante auro, demittunt in conspectu Dei, & surgentes procidunt ante sedentem in throno : & nos nihilominus, qui hæc fide profiteamur, & colimus,



pro nihilo ducimus, sacrosanctum illius maiestatis nomen, non solum frustra usurpare, sed pollutis oris iurando & peierando, quantum in nobis est, contaminare. Heu nostra pietas & fides, quod Seraphin tremētes decantant sanctitatis nomen, id proferri sordidissime ferimus, & circumferri in flatis buccis mulionum, corbulonum, aliorumq; nebulonum huius notæ: qui omni procul iudicio, veraciter, mendaciter, fallaciter, serio, ioco, & vt licentissima fert libido, nullibi nō iuramenta profundunt. Sed quid hanc infimam mortalium classem infamamus? ciues sunt & nobilitate aliàs clarescentes, qui quo maiori Deo obstricti sunt fide, turpiori dedecore iurationibus & periurationibus genus suum & sanguinem obnubilant. De sexu autem foemineo nihil hic decet cōmemorari. Est enim in foeminis multo indecentius ac turpius iurandi vitium, quàm quod nostra indigeat cēsura. Nam quas velato capite incedere iussit Paulus, easdem neq; loqui decet in publico, quanto minus diuinū nomen usurpare. Ecquid autem de sancto sacerdotio dici hic possit dignè? Sunt etenim heu nefas, nihilo in hac re cautiores: cū tamen, vt sunt Deo dignitate & functione cōsecratissimi, ita esse deberēt maximè ab hoc profa-

*Cōtra sacerdotes iurantes.*

profana-



profano impietatis abusu alieni. Eo ne ipso ore, quo, nō solum vt terrena Seraphin, sanctus, sanctus, sanctus, quotidie concinunt Domino Sabaoth, sed Dominum ipsū in verè sumunt, in cassum nomen eius, ne periuria blasphemiasq; nominemus, audeant vnquam proferre. Re vera illa pene reuerentia & veneratione, quo Deum ipsum ore suscipiunt, deberent & eius nomina. Neq; verò indigna mihi relatu hic videtur Romanorū *Romanorum* illa religio, cuius in eorum problematibus *rum reli-* Plutarchus meminit: nempè, quòd iusiuran *gio.* dum, homini libero, tormenti genus erat. Hoc est, iuramentum, sanctius, sublimiusq; censebatur, quàm vt seruis & mancipijs de ferri deberet, sed quæstione & tormentis extorquebatur ab eis veritas: liberis verò & ingenuis ciuibus, quos torquere non licebat, idem erat iuramentum ad depromendam veritatem, quod seruis tormentum. Nos tamen à vilissimis bubulcis & baiulis, & mancipijs iuramenta deposcimus, qui vix sciunt, quid nomine Dei significetur. Continebat præterea eadem religio, vt neque Diali Flamini, neque sacerdotibus iurare liceret: tum quod genus esset quoddam tormenti, à quo sacerdotium decebat esse immunè, vt cuius corpus & animum in-



tactum inuiolatumque esse oporteret, tum quòd sacerdoti citra iusiurandum habenda est fides. Absurdum quippè est, vt cui diuina & summa, credita sunt, eidem, iniurato denegetur fides. Neque verò hæc præterijt cautio patres antiquos Ecclesiæ Christianæ. Nam in Concilio Tribu-  
riensi, quod refertur. 22. quæstione. 4.

22. q. 4. canon. Si quis presbyter, sancitum est, vt  
*can.* Si à presbytero pro leui causa non exigatur  
*quis pres-* iuramentum, ne manus per quam corpus  
*byter.* & sanguis Christi conficitur, iuramento  
polluatur. Et idem cauetur in Remensi

22. q. 5. Concilio, vt refertur. 22. quæstione. 5. can.  
Nullus. Sed satis est sacerdoti dicere, est  
est, non non. Et quanuis pro causis gra-  
uissimis, puta, spiritualibus & maxima  
ingruente necessitate temporali, iurare il-  
lis liceat, hoc non possunt sine Prælati li-  
centia & consultissima deliberatione. Vi-  
deant ergo, quàm debeant vigilanter à iu-  
ramentis cauere quæ fiunt extra iudicium.

*Tertius* Hæc de maiestate diuini nominis, præ-  
*iuramēti* fati sumus, vt ad tertium iuramenti comi-  
*comes.* tem descendamus, non se vulgus seducat,  
existimans, nullum restare vitium, vbi ve-  
raciter iuratur, neque iuramentum, no-  
xium est proximo, neque res iuratur illi-  
cita.



cita. Est enim præterea magnopere necessarium, iudicium, & circumscriptio iuramenti. Primum (vti dicebamus) vt *Necessitas iuramenti* magna necessitas interueniat. Hæc autem necessitas, inde primum iudicanda est, quòd sit res dubia, nam vbi res liquet, frustra iuratur, & idcirco improbè. Et præterea requiritur, vt id quod iuratur, sit dubium, non, aut iuris, aut scientiæ, quod alijs methodis, vtpotè vel authoritate, vel ratione terminandum est, sed quòd sit dubium facti, idque tale, vt alia via quàm per iuramentum innotescere nequeat. Mox & rei magnitudo, æstimanda quoque est & pietas. Vt videlicet digna sit, cuius Deus sit in testem accersendus: nam pro re leui iurare, pro qua non modo regem, verùm neque virum honestum in testimonium euocares, citra diuinum contemptum fieri non potest. Sed debet, tum vsurpatio diuini nominis, tum & periculum peierandi, quod à iuramento imminet, magnitudine necessitatis compensari. Id quod tam ille qui iurat, quàm alter à quo iurare cogitur, tenetur animaduertere. Sed & efflagitat præterea iurandi ratio, vt & forma certa, & ordine fiat *Forma & ordo.* in iudicio fori: ea nimirum religione, qua



secundum leges consueuerunt iuramenta celebrari. Puta super altari tactis Euan-  
gelijs & Cruce, vel saltim in præsentia iu-  
dicis: concesso prius iuramento induciarum  
tempore, vt secum maturè deliberet, quid  
est quod iuret. Qua de re sancta iura non  
permittunt furiosis iurare, vt refertur. 15.  
quæstione. 5. can. Merito. Neque pue-  
ris ante quatuordecimum annum, vti ha-  
betur. 22. quæstione. 5. can. Pueri. ex  
Elibertano Concilio. Neque prægnantes  
ius est iuramenti horrore pauefacere. Quin  
verò consideratè adnotandus est proximus

*Ea. cau.* statim canon Cornelij Papæ, vbi ait, hone-  
*et. q. ca.* stum videri, vt qui in sanctis audet iurare,  
*honestū.* hoc ei unus faciat, cum omni honestate &  
timore Dei. Conferto ergo has leges cum

*Abusus* vsu, qui modo est exigendi, accipiendiq;  
*suscipiendi* iuramenta. Non modo non adducitur iam  
*iuramentū* nunc qui iuraturus est, seu ante altare, seu  
*iudiciale.* ad Tribunal, vt vel loci, vel personæ inti-  
tus maiestatem, numinis admoneatur,  
per quod iuraturus accedit, & sibi videat,  
quid iurare præsumit: sed hoc iam nego-  
cium tabellionibus demandatur, quod ipsi  
rursus vnicuilibet famulorum concedunt.  
Sed nescio quid præterea Rhetoricæ insue-  
uerunt iurandi formulis commiscere. Iu-  
ratis



ratis Deum & sancta Euangelia, vbicunq;  
extensius scripta sunt: Ac si pars minima  
Euangelij, non esset Euangelium. Adde,  
quòd improuidum & incogitantem sæpè  
numero occupantes, cogunt crucem tan-  
gere, & iusiurandum sine mente pronun-  
ciare. Hic profectò abusus in eam vilita-  
tem coniecit iuramenta, vt homines infi-  
mæ fortis, vix sibi persuadere possint, tan-  
tum in iuramentis inesse religionis, tan-  
tumque sceleris in periurijs. In eisdem ci-  
tatis Romanorum problematibus extat, vt *Romana*  
qui Herculem iurarent, id sub tecto face- *religio.*  
re, essent prohibiti, sed subdium progredi iuberentur. Aut quòd Deo illi consti-  
tutissima fuisset semper & sanctissima iu-  
ramentorum continentia, aut quòd de in-  
dustria mora illa concedebatur & delibe-  
randi spacium, vt deferuente passione, at-  
tentiori iudicio iuraretur. Etenim si de im-  
prouiso hominem, vel ira, vel metu cor-  
reptum iurare cogas, quid aliud valeas,  
quàm periurium extorquere? Hanc arbi-  
tror ob causam aiebat Chrysoptom. ad po-  
pulum Homilia. 15. Non ita gemo & de-  
ploro, quospiam in vijs iugulatos audiens,  
si cut gemo & lachrimis prosequor, & hor-  
resco, cùm video quempiam propè men-



*Iuramēta  
libera.*

*Vulgaris  
obiectio.*

sam hanc venientem, & manus imponen-  
tem, & Euangelijs iurantem attactis. Ter-  
tius ergo iuramenti comes, per quam ra-  
rissimè extra forum iudiciale in iuramen-  
tis, quæ libera vocant, obseruari possibi-  
le est. Vnde non esset omnino temerariū,  
omnia prorsus condemnare huiusmodi iu-  
ramenta. Quoniam, nullo cogente iudi-  
ce, vix potest iusiurandum legitimam ha-  
bere excusatoriam necessitatem. Iuravit  
quidem Paulus, sed, intuere quàm cir-  
cumspectè, & quanta cum reuerentia diui-  
ni nominis. Iuravit primo in scriptis, vbi  
non ita de calamo ac de lingua quidpiam  
potest inconsultum decidere: & de re, præ-  
terea tum occultissima, tum etiam neces-  
saria ad conciliandos sibi Romanorum ani-  
mos. Testis mihi est Deus. Ecquis verò  
Deus. Cui seruiò, non vtcunque, sed in  
spiritu meo, in Euangelio filij eius, quòd  
sine intermissione memoriam vestri fa-  
cio, & cætera. Hanc sibi formam propo-  
nere deberent, qui suis prætexunt iuramen-  
tis exemplum Pauli. Sed obuiam mihi  
exire hic præsentio mortalium turbam,  
qui aiunt, non aliter quàm iurantes sibi  
posse auctoritatem comparare, vt sibi ad-  
hibeatur fides. Multijuga hic tamen se of-  
fert



fert mihi responsio . Primùm , si times , non tibi fortè absque iuramento credendum , tace . Multa enim occurrunt negotia , quæ ad te non attinent , in quibus nihil tua refert veritatem confirmare . Præterea qui homines sunt infimæ notæ non tantam iacturam proprij honoris faciunt , quando iniuratis non creditur , quanta iurantes afficiunt contumelia diuinum nomen . Viri autem superioris ordinis compertissimum habere deberent , quod ( vt ait Chrysoſt . ) non iusiurandum personæ , sed persona potius iuri iurando pondus & robur authoritatis tribuit . Quin-  
*Notandiū  
documentum.*
 uerò quo homines frequentiori se addixerunt iurandi consuetudini , minus digni sunt , quorum iuramentis vlla præbeatur fides . Nam qui temerè , præsentè , absenteque iurandi causa , iurare consueuerunt , omni se nudauerunt authoritate : & ideo , vel nulla , vel certè per exigua fit illis iniuria , si non tam ratione , quàm libidine & morbo iurare credantur . Contra verò , vt sunt homines iuramentorum continentissimi , ita vel iniuratis maxima debetur , haberi que assolet fides . Igitur si de te tu ipse talem habes existimationem , quòd nulla tibi iniurato perhibetur fides , quomodo



vis in maiori apud alios haberi opinione?  
 Vis maiorem tibi conciliare auctoritatem?  
 pone iurandi consuetudinem, & nullo  
 indigebis iuramento. Et tunc id maximè  
 assequeris, quando morum te probitas  
 comprobauerit. Neque enim tantam mor-  
 tales auctoritatem nanciscuntur ob digni-  
 tatem qua pollent, aut magistratum, quan-  
 tum illis conciliat morum honestas. Vi-  
 deas enim magnates & illustres viros, qui  
 iurandi consuetudine ordinem suum de-  
 foedarunt, eo haberi loco, vt quo cummu-  
 latius iurent, minus persuadeant verita-  
 tem, Et tamen sunt è regione alij priuatae,  
 sed tamen probatae vitae, quibus idcirco  
 quod nulla ratione adduci ad iurandum  
 possunt, facillimè ab omnibus datur, citra  
 iuramentum, fides. Quòd si illos contin-  
 gat in summa necessitate iusiurandum pre-  
 stare, veluti oraculum, sic tale iuramentum  
 suscipitur. Neque verò hoc rationi tantum  
 naturali consentaneum est, verùm Christiano  
 instituto congruentissimū. Edixit Chri-  
 stus nobis, non iurare omnino, imperauitq;  
 vt sit sermo noster, est est, non non, nihil er-  
 go mirandum, si iudicium eius sit, & prou-  
 dentia, vt iuramentis citra summam neces-  
 sitatem præstitis, minus insit auctoritatis,  
 quàm



quàm si iniurata veritas, verbis euangelicis innixa prodiret. Qua ratione id iam in vfu venit, vt inter magnates, quin inter belli milites pro ignominia habeantur ignobiles iste iuramentorũ sordes. Et quicunq; compositi sunt moribus, hoc se decore exornant, vt nullũ eis ore decidat iuramentum.

❧ T E R T I A ❧  
P A R S.

C A P. X I I. *Aduersus improbam iurandi consuetudinem.*



N hac tertia parte propositum à nobis est improbæ huic iurandi cõsuetudini remediis occurrere, quibus, diuino fauẽte numine, de medio tollenda curetur: & è finibus Christianismi exterminanda. At verò sic vitium reprehendendum est, vt tamen reprehensio veritatis terminos non tran-



*Cōsuetu-  
do iuran-  
di.*

filiat. Quapropter, quia nonnulli ex emia  
honorem diuini nominis zelantes, visi ni-  
mium sunt consuetudinem iurandi vitupe-  
rasse, talem nimium illi adscribendo condi-  
tionē, qualis non cōuenit, non possumus  
non hęc, citra contentionem tamen & con-  
tradictionem, explanare. In primis consue-  
tudo iurādi non est per se peccatum, distin-  
ctum à iuramentis ipsis. Consuetudo nanq;  
in quacunq; materia, non est nisi actionum  
frequētatio, ex qua secundum philosophū  
generatur habitus: peccatum autem neuti-  
quam esse potest, nisi, vel in actione, vel in  
omissione habitus: ergo non est delictum:  
sicuti neq; frequentatio actuum, peccatum  
est extra numerum actuum, qui identidem  
iterantur. Est autem & vicissim habitus,  
actuum causa. Ex quo fit, vt non omne peri-  
culum & causa peccati, sit peccatum. Exem-  
pli gratia. Vadare incautē rapidū, aut aliās  
periculosum flumē, & propinquissimē tru-  
citauro, dum agitabatur, imprudēter obam-  
bulare: & nimium eum potare, qui est ine-  
briari solitus, peccata sunt: quoniam sunt a-  
ctiones periculosæ: habitus verò, quia neq;  
actio est, neq; omissio, ita est periculum &  
causa peccati, vt tamen per se non sit pecca-  
tum. Sed nunquid consuetudo temerē iu-  
randi



randi status est saltim peccati: sic enim qui- *Consuetu*  
dam docent. Profecto hoc non intelligo: sta *do nō est*  
tus enim peccati non censetur, nisi vbi, vel te *stat<sup>o</sup> pec-*  
nō poenituit elapsi criminis, vel animū ha- *cari.*  
bes delinquēdi, vel occasionē non amoues,  
vt si non domo depellas amicam: aut si artē  
exerces (vt campforiam) quæ anfas ingenio  
suo & natura peccandi offert: vbi verò hæc  
absint, neque peccatum superest, neq; sub-  
inde status peccati: igitur quantūuis sit ho-  
mo malæ iurandi consuetudini addictus,  
cum primum mentem mutet & occasiones  
fugere proponat, puta familiaritatem cum  
illo qui causa ei erat iurandi, vel alias qua si-  
bet, in nullo remanet statu peccati: Nam ha-  
bitus per cessationē ab actu extenuabitur,  
ac tandem delebitur. Mos ergo & iurandi  
habitus, vel in eo consideratur homine, qui  
simul habet mentiendi consuetudinē: & ta-  
lis habitus, pestilentissimus est, quoniā est  
per se vitium peccandi mortaliter: ob idq;  
sic affecto impensius profecto adhibendum  
studium est abstergendi talem habitum.  
Haud tamen video, cur si abstinere sincerē  
proponat, & se subducere (vt diximus) occa-  
sionibus obligandus sit, antequam sacramē-  
to absoluator, de rigore iustitiæ ad aliā cau-  
tionem, vel poenam si iuramentum recide-  
rit



rit cū aliis criminosis non alia imperantur. Quauis consilium sit saluberrimum, vt ad hoc omnes admoneantur, & sua sibi sponte tali medicamine consulant. Potest prætere esse, tametsi rarò, huiusmodi consuetudo iurandi, in eo qui non consuevit mentiri. Atqui hic sanè habitus non est per se causa peccandi mortaliter: quoniam iurare (vt suprà dictum est) sine causa necessaria, peccatum est dumtaxat veniale, dum modò alij adsint iuramēti comites. At quia pernix lingua facilè præcipitatur, nō potest huiusmodi cōsuetudo non facessere homini peierandi periculum: nam qui nimiū loquitur, non diu esse potest à mendatio liber: secundum *Proz. 10.* illud Sapientis. In multiloquio non deerit peccatum. Et ideo quauis propositum cauendi à multiloquio, & ab aliis venialibus culpis, non sit ad salutem necessarium, tamē propositum cauēdi ab assuetudine iurandi, illi etiam necessarium est, qui non est vitio mentiendi corruptus. Nam sicut multiloquio periculū conflatur mentiēdi venialiter, ita & à frequētaione iurandi periculū existit mentiendi cum iuramēto, quod semper est mortale: & qui amat periculum, peribit in illo. Igitur duas regulas iudicio expendamus, quæ inter institutiones fraternitatis

*Prior regula fraternitatis*



tis diuini nominis bona mente & zelo con-  
scriptæ sunt, sed tamen ægrè, nisi cum sano  
moderamine, persuaderi queunt. Prior est.  
Quicumque consuetudini iurandi addictus  
falsum iurat, peccat mortaliter: siue prudēs  
& cogitans id faciat, siue incōsultè, & absq;  
vlla aduertētia. Prior harum pars, extra con-  
trouersiam est. Cogitatum enim periuriū,  
tam illi, qui iuramentis non assueuit, quàm  
illi qui assueuit, peccatum est mortale. Poste-  
rior verò de illo, qui non aduertens falsum  
iurat, quatenus vniuersim cōprehendit sub-  
reptitios motus, à veritate deficit. Vsu enim  
quoq; illi venire potest, cui iurare solitū est,  
vt repentina animi percussio tempus adi-  
mat cogitandi, & linguam de improviso in  
periurium dissoluat: vbi ideo nulla erit cul-  
pa. Hoc tamen est confitendum, quòd vbi  
non huiusmodi subita commotio, tempus  
præripuit cogitandi, sed sola consuetudo iu-  
randi fecit, vt negligenter & per contemptū  
inadvertenter quis peierauerit, non excusa-  
tur à mortali. Sed arguis in contrarium. S.  
Tho. 22. q. 98. art. 3. solūm condemnat illum S. Thom.  
ad mortale, qui falsum aduertendo iurat: er 22. q. 98.  
go inadvertentia omnino diluit culpā. Re- art. 3.  
spondet illis Caie. quòd qui propter conti- Caietan.  
nuam, siue verè, siue falsè iurandi consuetu-  
dinem



dinem non aduertit, idcirco non excusatur: quia inaduertētia non est causa periurij, eò quod nihilmin⁹ iuraret, etiā si aduerteret. Hæc tamen ego causam, vel nunquam intellexi, vel adduci nequeo, vt credā. Primum quia hæc forsan postrema hypothesis, falsa est. Nam etiam si creberrimè quis peierat, fortè nunc, si aduerteret, nō peieraret: & ideo fortasse aduertentia fuit sceleris causa. Et præterea istæ cōditionales, nullius sunt, vel meriti, vel demeriti. Nam etiam si inimico præfente, vel amica, irritaretur homo & collaberetur: non tamen ideo absentibus illis est in peccato, nisi quandò actu mentem habet, ac propositum peccandi, & ideo quicquid homo faceret, si rem ante factū prospiceret, nō est euentus ille, causa peccādi, dum citra aduertentiam, quod iniustum est, committit.

*Sententia authoris.* Igitur ex cōsuetudine iurare falsum, ideo est (vt reor) mortali censura notandū, quia iuratur tunc falsum absq; illa circumspectione & deliberatione, quæ necessaria est antequā diuinū nomen vsurpetur: ob idq; negligentia illa, quæ secum affert contēptum reduci-  
 citur ad eandem rationem, ac si consulto fieret periurium. Quēadmodum, qui citra debitam cautelam sagittam emittit in nemore, hominemq; imprudens configit, nequaquā



ab homicidio est immunis. Hinc fit, nō fuisse necessarium prædictæ regulæ hoc adhiberi temperamentum, quòd intelligatur quãdiu non retractauerit homo consuetudinẽ iurandi. Quasi idem numero opus, in eo qui consuetus est, sit peccatum: in Deo vero minimè, qui non habet consuetudinẽ: Id quod profectò, nisi ego fallor, falsum est. Nam ex inaduertentia modo exposito peierare, mortale crimen est, vñdecunq; proueniat, siue à consuetudine, siue ab oscitãtia & vecordia, siue aliundè. Sed tamen hoc est confitendũ & admonendum, quòd consuetudo est homini sæpissimè in causa, vt absq; consideratione peieret. Quod non faceret, nisi corruptum haberet per cõsuetudinem habitum. Posterior eiusdem pagellæ fraternitatis re- *Posterior*  
gula, circumfertur, talis. Quicunq; consuetu *regula.*  
dine iurandi laborat, dum illam non retractat, iurando id, quod verum est, citra aduertentiam tamen, neq; perpendendo quid iurat, mortaliter, tãquam periurus delinquit. Hæc autem regula ægrius fieri potest credibilis quàm præcedens. Primùm quòd qui piã esse possunt (vt dicebamus) etsi rari, qui sunt vsu iurandi corrupti, prouidentiores tamen, ne mentiantur: qui pro inderatione solius periculi nō sunt semper, dum verum iurant,



*Regula.*

*Nulla excusatio iuramento-  
rum.*

rant, tam acri cēfura iudicandi. Pręterea aliqua sunt veritates, ita patentes & pręfentes, quę nullam ferę requirunt tēporariam aduertentiam, fed quafi momentanea fatis est, vt etiam sub iuramēto, citra mortale crimē, proferantur: neq; enim minimū periculum facit femper mortale peccatum. Regula ergo non est de hoc alia ftatuenda, nifi quam cap. 7. pręfiximus: nempe quod pro certo id afseueranter iurare, cuius prius non est homo certus, fit peccatum mortale periurij, cuius homini hoc cōtingat. Quocirca neq; hic opus erat eodem temperamento, fcilicet quādiu homo est in cōfuetudine. Quinimo crediderim potius, nullum esse actū, qui adiuncta cōfuetudine fit peccatum mortale, & ea fola cefante, idē definat esse mortale. Sed hoc confitendum est, qđ cōfuetudo iurandi caufa fępenumero est, vt quidpiā firmiter adfeueretur citra aduertentiam, vnde mortale fiat periurium. ¶ His igitur pręhabitis animaduertendum refat, quanta fit Christianis nauanda opera huic medendo ac depellēdo morbo. Primū enim omniū vitium hoc citra neceffitatē abfq; iudicio iurandi, minimam inter omnia vitia, quinimo nullam habere poteft excufationē, ob idq; maximum inter omnia fecum affert cōtemptum



ptum Dei. Enimvero si vnum quēlibet mortaliū de aliis sceleribus & flagitiis scisciteris, videlicet cur inimicitias gerat, cur inuideat, cur sit vel adulator, vel alieni raptor, causam tibi aliquam vel occasionem respondebit, quam poterit crimini suo prætexere si autē iuratores istos interrogas, cur iuramenta diffundant, solam cōsuetudinem causantur. Potest ne igitur diuinæ legis impudentior esse despectus, ac vilipendium, quā nullo, aut honoris, aut cōmodi, aut oblectamēti respectu, sed solo libertatis abusu gratis dehonestare diuinum nomen, cui immensa debetur veneratio? Sed aiūt efrænes isti prophanatores diuini nominis. Non semp̄ gratis iuram⁹, sed ira aut quouis alio animi impetu perciti. Verūm quidem respōsum, sed iniuria plenū, & iniquitate. Quam iram cōcipis in proximum, quem lædere nō audes, in Deū respuis, qui nulla te laceſsiuit iniuria, sed linguam & teipsum, dum deieras & blasphemias, sustinet? Est enim videre plurimos ita blasphemis iurationibus in se inuicem exardescere, ac si armati digladiarētur, quos ita cōtēplari soleo, ac si Deū cōmunem hostē haberēt in medio, in quē suas ambocōtumelias iactitarēt. Vide quē est Deo abominabilis iurādiabusus. Inter cæteras cautiones

H illa



*Leuiti. 5.* illa erat in Leuitic. celebris, vt quicumq; audiret vocē iurantis, nisi id indicasset, iuramentūq; detulisset in iudiciū, reus haberetur iniquitatis. Vbi non fit mentio solius peierantis, sed cuiuscūq; iurantis: ne dicas veraciter iurare, non esse etiā Deo inuisum, dum fit extra necessitatis articulū. Refert aduersus *Iulianū* li. 10. *Cirillus Atheniensium* ritum, quo illustres viros & rebus gestis clarissimos venerabantur: nepe quod iniquū ducebāt per illos iurare, imo verò illorū noīa iurantes excipiebāt. Sic videlicet. Nō per progenitores iuro, qui tali sunt victoria potiti, neq; per talem &c. Et nos tamē nō veremur facilius per Deū, q̄ per charos nros, iurare. Ea est Deus in nos clemētia, vt p̄ capita nos nostra iurare prohiberet, ne nostrā exponerem⁹ salutē periculo: & nos vicissim, dum aliū iurantem per eū audimus, quē habemus charissimū, egerimē ferimus: neq; mater familias iurare familiā finit, per filiū, aut per maritū. Et tamen quādo Deū audimus iurari, & periurari, nihilo pluris estimamus, q̄ si Socrates iuraret (vt solebat) per canē, aut anserem. Mos erat olim Romanis iurare per geniū principis: quod post q̄piā imperatores nō tulerūt, sed statuerūt vt fustib⁹ illi vapularēt, q̄ sic iurassent falsum: vt habetur. l. si duo. ff. de iur. iurā.



iurā. Christiani verò nullum per Deum iuramentum vlciscuntur, sed solas blasphemias, easdemq; mitissimo carcere vindicant. Accedit ad cumulū iniquitatis huius vitij, scandalum, quod passim datur honestis viris, & religiosis, qui nō possunt non animo percelli, quotiescunq; iurātes audiunt. Nam alia oīa crimina & flagitia, veluti opera tenebrarū, in abscondito, & semotis arbitris, patrātur, hoc autē, quia ob id non cēsetur vitiū, quod in Deum dūtaxat intenditur, nulla cohibet verecūdia, quin publicitus cōmittatur. Adde q̄ aliorū singula flagitiorum genera, suas habent proprias affectiones, & causas, à quibus progignūtur, hoc autē ex omnib<sup>9</sup> pene exoritur. Siue turpis amor illectet, siue occupet auaritia, siue ira percellat, siue superbia efferatur, siue torqueat inuidia, oēs hmōi belluæ hominem exagitant, qui iurandi se consuetudini mancipauit. Et, quæ suprema huius pernicies est, ad omnia alia scelera perficienda oportunitas tēporis & loci expectatur: q̄re neq; passim pullulant, neq; ita crebrò: hoc autē quia in sola lingue facilitate positū est, nullā operitur oportunitatē, sed quocūq; tēpore & loco inficit audiētīū aures. Qua deniq; ratione fit cōsequens, vt nullū sit inter Christianos tā presens pericu-

*Iuramen  
torū scan  
dalum.*



lum letaliū delictorū, q̄ consuetudo iurādi. Etenim quāta est in multiloquio, mēdaciōrū frequētia, tanta est in frequētatis iuramētis, periuriorū dēfitas. Quām rarissimi enim sunt, q̄ iuramētis assueti, mēdacia valeāt subterfugere. Quocirca sapiētissima fuit Ecclesi. admonitio. Iuratiōi nō assuescat os tuū: multi enim casus in illa: casus enim piuria vocat. Et subditur. Noīatio verò Dei nō sit assidue in ore tuo, & noīb⁹ sanctorū nō admisceris: qm̄ nō eris immunis ab eis. Noīatio, inquit, qm̄ non solū iurādo, verū neq; in familiari colloq̄o cōdecēs est, vt diuinā maiestātē nominem⁹, nisi tūc penit⁹ qm̄ cū illa orātes colloq̄mur. Et seq̄tur. Sicut em̄ serū iterrogat⁹ assidue, à liuore nō minuitur: sic oīs iurās, & nominās, in toto à pētō non purgabitur. Aptissima p̄fectō similitudo. Sicut em̄ serū, q̄ in assiduis est tormētis, liuorib⁹ & viuicibus semp̄ est oppletus, ita q̄ iuramētis assueuit, singulis dieb⁹, horis & momētis piuriis resp̄gitur. Id quod in nullo alio vitiorū genere v̄u venit. Vñ attētē cōsiderandū est q̄ nō dixit, piurationi nō assuescat os tuū, sed, iurationi: quia à iuratione præcipitiū patet in piuria. Qua vtiq; ratione Christus non tātū nos admonuit, nō peierare, verū non iurare oīno. Sed postremā deniq; oīno reputemus  
 Dei



Dei vltionē, quā per Zachariā iurātib<sup>9</sup> cōmi *Zach.,.*  
natus est. Ecce enim, inquit, propheta. Ego  
video falcem volantem: sic enim habent. 70.  
interpretes, quos homi. 15. ad populū sequi-  
tur Chryso. Longitudo eius. 20. cubitorū, & *Chry. ho*  
latitudo eius decem cubitorum. Et dixit ad *mi. 15. ad*  
me (scilicet angelus) hæc est maledictio, quæ *popul.*  
egreditur super faciē oīs terræ: quia omnis  
fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: & oīs  
iurās ex hoc (videlicet supplicio) similiter iu-  
dicabitur. Nō ait, omnis peierans, sed oīs iu-  
rās, vt nos cōmonefaciat, q̄ fit in iuratione  
præfens, deierandi periculū. Educā illā dicit  
Dominus, & veniet ad domū furis, & ad do-  
mum iurantis in nomine meo mendaciter  
(quia nō potest qui multū iurat, nō crebrò  
mēdaciter iurare) & cōmorabitur in medio  
domus eius, & cōsumet eam, & ligna & lapi-  
des eius. Attētē meditare quam sibi habeāt  
iuratores paratā vindictā. Falce em̄ volāte.  
20. cubitorū, veluti zizania in segete, deme-  
tēdi sunt. Sed in hac vita dom<sup>9</sup> eorū prenū-  
ciantur solo æquandæ, vt (sicuti obseruauit  
Chryso.) nō solū ipsi pœnas pēdant, sed exē-  
plo sint alis & terriculo. Enimuerò vt incen-  
dium Sodomorum vestigium post se reli-  
quit, quod conscelerati flagitij posteros ad-  
moneret, sic iurantiū domus & familiæ solēt



calamitatibus destrui, ut reliquum populū à tam inuisa Deo consuetudine perterrefaciant. Concludamus ex his ergo, non aliter iuratione utēdum esse, q̄ medicina, quæ per se ipsam venenū est. Eiusmodi enim farma- cum nunq̄ medicus propinaret infirmo, nisi in extrema necessitate, ac penè iam deplorata salute, & tunc quidē quā posset parcissimè. Sic enim iuramentum, nisi ubi manifestatio veritatis est q̄ maximè necessaria, nō est adhibendū: & tunc adeò tēperatissimè.

C A P. X I I I. *de remediis aduersus consuetudinem iurandi.*



Arum afferret emolumentum tam lōga reprehētio, qua in hanc pestem, hoc est, in iurandi ab usum inuecti sum⁹, nisi lectorē aliquorū admonerem⁹ medicaminū, q̄b⁹ possit illi obfisti. Quin uero neq; remedia attulisse, q̄cūq; p̄derit, nisi altē in cordibus imprimātur, ut valeāt, fauēte Deo, fructū, quē expetim⁹, ferre. Igitur quī cōsuetudinē, ut q̄ altera est natura, magnæ molis sit, à mortaliū animis euellere, tñ hęc, de q̄ loq̄mur, nō est vsq; adeò sublato difficilis. Imo verò,



verò, vt facillimè, ob linguæ præcipitiũ, inge-  
neratur, ita & alia ratione minimo negotio,  
conuellitur, nimirũ, quia nullas habet in vo-  
lũtate & affectu radices. Mõstratũ q̄ppe est  
capite superiori, quẽadmodũ hoc vitium à  
nullo appetitu nascatur eorũ triũ, qui n̄ros  
animos, authore Ioãne ap̄lo, deuexãt. Om- 1. IOAN. 2.  
ne enim inq̄t, quod est in mũdo, aut cõcupi-  
scẽtia carnis est, aut cõcupiscẽtia oculorum,  
aut sup̄bia vitę. Iurare autẽ, neq; carnis volu-  
ptas est, neq; oculorũ auaritia, neq; ambitio  
vitę: sed in sola heret sup̄ficie linguę. Et ideo  
veluti saliuã, ita, siq̄ adhibeatur cura, expui-  
ore p̄õt. Id quod experiẽtia in oĩbus cõpro-  
batur, q̄ semel animo p̄ponunt hmõi cõsue-  
tudinẽ relinq̄re. Quoniã neq; vllõ labore o-  
pus est, neq; verò dispẽdio, vel pecuniæ, vel  
honoris, vel aliarũ rerũ, quib⁹ vita n̄ra oble-  
ctatur, sed tãtilla in paucissimos dies attẽtio-  
ne. Ob idq; facilitas hęc, eorũ exaugebit cul-  
pã, q̄ nullũ impẽderint studiũ ad diluendã  
hmõi labẽ. Est autẽ primũ omnium remediũ, *Primũ re-  
medium.*  
vt intra eosdẽ lares vicaria opa tota se fami-  
lia instituat, & cõmonefaciat: nẽpe vt vxor  
maritũ (hic em̄ est prim⁹ nature nex⁹) quo-  
ties eũ iurare audierit, amicè admoneat. Nã  
vxor adeò (vt dicebam⁹) ignara esse debet &  
expers cõtagionis hui⁹, vt nulla op⁹ habeat



monitione. Mox, q̄ secūda est à natura cōiūctio, parētes p̄ples suas, ab ipso statim primo lallare hac religione intingāt: sec⁹ q̄ nōnulli solēt, q̄ filiis, ad olefcētiā intrātib⁹, iuramēta p̄mittūt, vt ea ratiōe iustā videātur ætatē attingisse: quo q̄d vergere pōt inagis in diuinū cōtēptū? Deinde officiū sit, vt p̄resfamilias eandē gerāt reliquæ familiæ curā: & inter se quoq; famuli pares sibi inuicē operas p̄stēt, vt nullū in tota domo insonet iuramētū. Sāctissimū est Chry. cōsiliū, vt q̄cūq; seipm, aut aliū quēq;, vel seruorū, vel filiorū hoc malo captos viderit, neq; cōmonefactos corrigi senserit, iubeat illos imprāfos cubare: q̄ q̄dē dā natio lucrum feret, & celerrimam correctionē. Hęc ille. Si autē nimis durā cautionē iudicaueris, vino abstineāt, vel ferulā subeāt. Etenim q̄uis paterfamilias vim nō habeat coercitiuā, vt publica potestas, tenetur tñ officiū fraternę correctionis solertius impēdere domui suæ, q̄ exteris. Et ideo q̄uis nō possit famulos acerbi⁹ punire, p̄suadeat illis saltē, vt leuissimas has pœnas spōte sua luant, q̄ suis sunt animab⁹ salutiferę, ac subinde Deo impēdio grate. Post patresfamilias cura hęc incūbit ludi magistris. Primūm, vt in suis scho-  
lis, neq; leuissimū iuramentū impune audia-  
tur: deinde, vt inter alios bonos mores, hoc  
quoq;

Chry. bo  
mi. 5. ad  
popu.



quoq; pueritiã imbuãt, vt veluti venenũ, sic p̄ totã vitã iuramẽta exhorrescãt. Et hoc potissimũ negotiũ illi succipiant, qui magistri sunt Chřianę doctrine: videlicet, vt inter decẽ pręcepta, hoc pręsertim cõmendent: explicantes, quãm se facilẽ, quantoq; cum periculo se infinet hæc lubrica pestis. Nam de pręuaricatione primi pręcepti non sumus in tanto periculo. ¶ Hęc ergo pręsidia sunt, quibus potest adolescentia ab hoc contagio pręseruari. At verò & publicitus aduersus eandem inueteratam cõsuetudinem operę precium est vrgentiora cumulari subsidia. In primis pręlati sunt, qui in continua vigilia esse deberent super gregem aduersus hanc lupinam infestationem: & secundum illos potestas etiam sæcularis: vt, omni procul negligentia, lege in eos agerent, qui rempublicam hac contage inficiunt. Omnium autem impensissimẽ deberent concionatores & verbi ministri accingi se ad profligandum ferocitatem belluę, quę, nullam naturali appetitu prębente inclinationem, tanto cum dedecore in Chřianos grassatur, vt nomen viuentis in sæcula sæculorum despiciant, ac turpioribus, quãm gentes proscindant contumelijs. Hęc ergo diuina organa, quibus functio est,



oportune importuneq; arguere, obsecrare, & increpare, obsecro & obtestor, vt nunquam non inclamitent aduersus rugientem leonem, hoc iurandi sibilo circumuenientē ac deuorantem dominicum gregem. Neq; de suggesto eum tantum insectentur, sed vbicunque audierint vocem iurantis, obijciant sese, & verbum retundāt, quo ad usq; per misericordiam Dei à sua Ecclesia hæc exterminetur rabies. Neq; concionatorum tantum sacerdotumq; ordo, sed & vniuersitas ciuium ad idem quoq; obeundum munus animanda est, & instruenda: nempè: vt vnusquisq; proximo suo de hac re prospiciat. Illud enim Platonicum institutum, cuius in Prologo meminimus, vt quicumq; iurantem audiret, in eum fuste, aut pugnis irrueret, non erat tam à iustitia diuersum, quin sanctissimus, idemq; eximiè pacificus

*Chrysof.* Chrysostomus permiserit, vt qui cuilibet inferioris ordinis iuranti occurreret, a lapa eum cæderet. Attamen quando hoc, ne tranquillitas publica disturbetur, consulendum non sit, imò potius admonendum, quod citra publicam potestatem nemini priuato licet, aut re, aut conuitio quenquam impetere, tamen quatenus limites correptionis fraternæ sinūt, nullus est in republica, q



non possit seruiato vrbauitatis & comitatis  
 decore, iuranteu quemlibet aduonere.  
 Quod si te aliqua forte resperferit iniuria,  
 Christus tibi honorem reficiet. Eius quip-  
 pe oraculum est. Omnis qui confitebitur *Matth. 10*  
 me coram hominibus, confitebor & ego  
 eum coram patre meo qui in coelis est: qui  
 autem negauerit me coram hominibus, ne-  
 gabo & ego eum coram patre meo. Est si-  
 quidem genus quoddam negandi Deum,  
 propter erubesceniam ( vt habetur Lucæ  
 9.) non defendere honorē eius & gloriam,  
 quando gloriosum eius nomen opprobrijs  
 commaculatur. Quocirca hunc semper ar- *Præceptū*  
 bitratus sum articulū, quo præceptum cur- *charita*  
 rit diuinæ charitatis. Quemadmodum enim *tis.*  
 charitas proximi, & pietas præcipuè in pa-  
 rentes, tunc nos suo vinculo ligat, dum  
 necessitate eos compressos cernimus, ita  
 & præceptum charitatis diuinæ, eo nos cer-  
 tē articulo cogit respondere pro eius ho-  
 nore, quando deteri eum videmus, ac pol-  
 lutis iurationibus defœdari. Re vera vbi  
 amicum malè audire videres, eiusq; ho-  
 norem & nomen periclitari, tunc, nisi il-  
 lum protegeres, amicitia leges offende-  
 res. Sibi ergo ipsis videant, qui iuramen-  
 torum absurditatem perinde immoti ac-  
 quieti



*Admoni-  
tio.*

*Blasphe-  
ma respō  
sa.*

quieti audire ferunt, ac si nulla teneren-  
tur lege pro honore Dei respondere. Haud  
enim possum non illis vehementer time-  
re, veluti officium contemnentibus chari-  
tatis ipsius. Sed & hoc iam demū dissolutos  
istos iuratores commonitos velim, vt quan-  
do continere impurum os nequeunt, fal-  
tem beneuolis auribus reprehensionem ex-  
cipiant. Est enim crimen hoc inter omnia  
idcirco reprehensionem aptissimum, quod  
iam vulgo non reputatur infame. Enimue-  
ro de alijs flagitiorum generibus, ideo ob-  
iurgare peccantes erubescimus, quòd infam-  
ia sunt, & qui illa admiserunt, non pos-  
sunt redarguti non pude fieri: ergo si pro-  
pterea mortales hoc genus vitij publicitus,  
passimq; perpetrant, quod nullius illud in-  
famiæ existimant, eadem ratione æquo ani-  
mo ferant, dum salubriter corripuntur.  
Aliàs iniquissima esset huius peccati con-  
ditio: vtpotè, quod non, qua ratione fa-  
cilè committitur, eadem correptionem ad-  
mittat. Sed & blasphema responsa, atque  
hæresim redolentia, dissimulanda nō sunt,  
quibus hoc pessimum vitium tueri sese cō-  
suefcit. Si quem iurantem infimulaueris,  
quidnam putas responsabit? Qui benè iu-  
rat, benè credit. Nescio an hæc blasphemia  
de bo-



de bono fonte promanauerit. Forſan enim inde dictum eſt verbum, quod infideles per falſos Deos iurant, qui autem ritè iurat, non iurat niſi per nomen veri Dei. Atamen iam blaſphemia eſt, & hæreticum ſenſum exhibet. Etenim, benè iurare, pro eo iſti uſurpant, quod eſt, affatim & exuberanter iurare: & qui ita iurat, non quidem benè, ſed perexiliter credit. Quandoquidem minimè credit, quantum à iuramentorum vanitate & abuſu detrahatur diuinæ gloriæ. Quapropter qui ſerio hoc aſſeret, tanquam hæreticus eſſet condemnandus. Et ille præterea, ceu blaſphemus, qui reſpondet, ſe identidem iurando, Deum ore proferre, quia quem impenſe diligit, non poteſt nō identidem nominare. Sunt enim iſti infernorum fales. Imò verò, ideo ſe ut ut ofores Dei produnt, quod ſanctiſſimum eius nomen contra eius voluntatem & legem inhonorum reddere pertendunt, & inglorium. Alij ſibi obtendunt conſuetudinem, quam aiunt impoſſibile eſſe ſuperari. Sed alia hæc eſt blaſphemia contra dictum Pauli. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ultra quàm poteſtis. Quinetiam, cum in alijs cunctis ſit iugum Domini ſuaue, & onus leue, hoc tamen ſecundum præceptum,



ceptum, Vt est suauiſſimum, ita & leuiſſimum. Suauiſſimum inquam, quia ad reuerentiam & cultum Dei præcipuè conferens, leuiſſimum verò, quoniam ( vt ſupra dictum eſt ) nulli noſtro honori, nulliq; obſiſtit, aut commodo, aut voluptati. Imò verò, ſi vel obolo irrefragabiliter, quoties quis fruſtra iuraret, plectendum ſe certo ſciret, quam facillime conſuetudinem linqueret. Vide ergo quanti iſti faciant mandata Dei, qui illud pro eius honore impoſſibile factu aiunt, quod metu vnius ſoluendi oboli facillimum experirentur. Aliæ nos quamplurimæ poſſent hic huiuſmodi meditationes remorari, ſed vereor ne iam ſaſtidio lectoriſimus.

CAP. XIII. De inſtitutione & regula fraternitatis diuini nominis.



**N**TER remedia quæ ad hunc propellendū morbū cōducere poſſunt, hoc erit præcipuè conferēs, ſi ad hęc ſubeundam prouintiã familiæ in ſingulis vr-  
bibus & oppidis creentur, Huiuſce fami-  
liæ,



liæ, titulus sit, de sancto Dei nomine: finis vero & scopus (vt in epistola Principis dicebamus) hanc letiferam pestem abigere à grege Christiano: sed regula eius & ordo, quibus per hæc subsequētia capitula disponitur.

✠ Prima constitutio.

**P**rimum Episcopus, qui veluti summus olim sacerdos lamina aurea insculptum gerebat illud in fronte, ita debet diuinum nomen gestare intus scriptum in pectore, vnum certum probatum virum, duo suè, aut plures designet, qui nomina scripto suscipiat eorum, qui voluerint in hanc religionē illa dare. In minoribus verò oppidis curator id poterit facere. Cùm autē fuerit iustus numerus, sua ipsorum erit facultas, vnū quotannis eligere, quem sibi præficiāt. Oeconomū Hispani hunc magistratum appellant. Igitur qui deinde voluerint eidem societati aggregari, apud illum cōscribent nomina sua. At verò, cum huius familiæ propositum institutumque sit, iuramentorum continentia, prima ei congruit institutio, vt nullus in ea sit iuramentorum vsus. Igitur confratres, dum numero adscribuntur, nullum debent præstare iusiurandum, aut de nunquam iurando, aut de poena pendenda. Nam aliàs, vane iurare, quod vbi veritas & iustitia



iustitia adest, non est nisi veniale, fieret illis, ob præstitum iuramentum, mortale: sicuti &, non soluere poenam. Sed tantum debent peculiariter intimo animo proponere, secundum seruare Euangelicum præceptum: nempe, in sensu supra exposito, non iurare omnino, nisi vbi trinus comes affuerit. Itaq; vt iurandi delictum, non sit illis grauius crimen, quàm secundum formam & dispositionem Euangelij.

✠ Secunda constitutio.

**Q**uisq; fratrum sua sponte proponat, quotiescunque iurauerit, nisi vbi tres simul comites, puta veritas, iudicium & necessitas occurrerint, duplum soluere assem, puta dipondium. Si verò (quod Deus auertat) blasphemiam quamlibet earum quinque, quæ Hispanis legibus cauentur, ore protulerint, dimidio argento culpam redimant. Has autem poenas infra diem naturalem seorsum domi deponant: quas in fine mensis offerant œconomo, vel in truncum condant, ad hoc in Ecclesia expositum. Dixerim Proponant, & non, Promittant: ad dilluenda dubia verba, quæ in regula modo fraternitatis circumfertur, quæ non apparent vsquequaq; vera. Habetur enim illic quòd huiusmodi solutio multæ, veluti  
donatio



donatio fiat inter viuos : sub nullo tamen obliget reatu culpæ , sed sciat nihilominus, qui non soluerit , pensurum se in purgatorio. Hæc autem non erant adiectu necessaria. Primum quòd quanuis, vane iurare, nulla sit confrati obligatio ad nouam culpam, præter illam quæ contrahitur à transgressione legis Euangelicæ, tamen promissio soluendæ poenæ natura sua obligaret ad culpam, saltem venialem: nam si nõ solueretur, esset mendatium . Et præsertim si esset donatio, teneretur, qui donauit, donatum reddere . Et præterea si nunquam soluere poenam, nulla esset culpa, profectò, licet alij aliter senserint , mihi nunquam fuit probabile, vt poena vlla restaret luenda in purgatorio. Quoniam illic (vt nomen ipsum sonat) non purgantur, nisi poenæ quæ debentur peccatis, & venialis ipsa culpa . Et ita semper censui in ordine nostro **Dominicano** : nimirum , quod earum transgressionum, quæ ad nullam obligant culpam, si poenæ nõ soluuntur in hoc sæculo, neque soluentur in futuro: sed Prælati incumbit, poenas exigere. Igitur, vt omni obuietur periculo culpæ , nulla fiat promissio pendendæ poenæ : sed satis sit propositum : quod nullam secum affert culpam, etiam si non implea-



tur. Quauis cordatis viris, & nimium deditis huic vitio, qui nullo se obijciunt periculo non soluendi, non dissuaderem, quominus se promissione, se ipsos multādi obstringerent.

✠ Tertia constitutio.

**C**Vram debet gerere præcipuam quicumq; huic sanctæ societati se addixerit, sic domi suam familiam ita componendi, vt nullum ibi audiatur iuramentum. Filios in primis (vt dictum est) castigando, & famulos fraterne corripiendo, eisdemq; persuadendo, vt similem in seipos multam sua sponte decernant, iuxta consiliū Chrysostomi, cap. 12. memoratum. Nam vi & lege coercere pater familias famulos, non potest, nisi illo pacto & conditione illos suscipiat. At verò, si famuli nolint illam recipere, non tenetur herus talem famulum, vel non admittere, vel domo dimittere.

✠ Quarta constitutio.

**H**Oc autem sit confratribus Princeps institutum, vt quemcunq; cuiusuis conditionis & sortis ciuem, iurantem audierit, congrua vrbantate, iuxta hominis conditionem admoneat, ne iuret. Quinuerò, ne vlla eos offusa verecundia ab hoc officio cohibeat, ad quod potissime manciparunt sese

frater-



fraternitati in obsequium diuini nominis, proponere etiam debent, quoties alium nõ admonuerint, eandem poenã soluere, quam si ipsi iurassent. Hac enim præcipuè ratione fiet, vt nemo ægrè ferat admoneri: cum scilicet intellexerit ciuitas, hanc esse confratribus functionem sui muneris.

✠ Quinta constitutio.

**Q**uoniam nisi aliquis quandoq; fiat fratrum conuentus, nulla esse potest fraternitatis effigies, prima die Dominica singulorum mensium conueniant fratres in aliquam sibi destinata[m] ecclesiam, sacrum audituri: vbi, vel simplum, vel duplum assem singuli offerant. Hæc autem pecunia, vna cum illa, quæ ex poenis conficitur, in arcellam ibidem expositam, vel erectum truncum recondatur in pios vsus, prout eadem sancta societas iudicauerit. Erit autem omnium accommodatissimus, si expendatur in subueniendis illis, qui sunt carceribus mãcipati, quorum miserorum hæc societas curam debet suscipere, vt laus diuini nominis marita sit redemptionis captiuorum, pro qua Deus ipse Christus redemptor noster mortem subiit temporalem.



QVINTVMDECIMVM AC PO-

*Stremum capitu. In quo ex superioribus colliguntur documenta, qua sunt praeculis habenda.*

✚ Primum documentum.



V R A R E P E R  
Deum, vel per creatu-  
ras, in ipsum relatas,  
trina comitante virtu-  
te, puta veritate iusti-  
tia, & iudicio, offi-  
cium est & religionis

virtus, vt cap. 2. expositum est.

✚ Secundum documentum.

I V ramentum quodcunq; falsum asserto-  
rium, est peccatum mortale, in quacunq;  
materia, & pro quacunq; causa, & fine, &  
sub quacunq; forma: nisi vel sit surreptitius  
motus, vel non fiat animo iurandi, neq; se-  
ducendi: vt cap. 7. expositum est.

✚ Tertium documentum.

N O n implere tempore & loco iuramen-  
tum promissorium rei licitæ & hone-  
stæ, nisi, vel impossibilitas, vel iusta dispen-  
satio excusset, est semper peccatū mortale.

✚ Quar-



✚ Quartum documentum.

**I**uramentum promissorium de re illicita, quæ prohibita est sub reatu peccati mortalis, est per seipsum peccatum mortale, siue impleatur, siue non impleatur. Si autem sit prohibita sub culpa veniali, est peccatū veniale. Documentum hoc cum præcedenti explicatum fuit. cap. 9.

✚ Quintum documentum.

**Q**uodcumq; iuramentum, etsi sit verū, si tamen fiat sine necessitate, est peccatū veniale, vt cap. 11. expositum est. Quod autē sint iuramētorū exēpla cap. 4. declarauim⁹.

✚ Sextum documentum.

**A**lias propositiones adiectas video in regula fraternitatis, easdemq; maiori rigore assertas, quàm vt facile probari queant. Quartam enim & quintam iam cap. 12. collimauimus. Sit verò hic sextum documētum. Iurare falsum absq; præuia meditatione, est peccatum mortale: siue ex cōsuetudine procedat, siue ex ignauia, vel alia ex causa. Tãetsi consuetudo sepius sit in causa huiusmodi inconsideratæ iurationis.

✚ Septimum documentum.

**A**seuerare rem aliquam sub iuramento, tanquam certam, etiam si vera fortè sit, de qua tamen redubius est intellectus,



est peccatum mortale: siue fiat ex consuetudine siue extra consuetudinem. Quãuis ex consuetudine id crebrius nascatur.

✠ Octauum documentum.

**C**Vm iurandi cōsuetudo (vt eodem cap. expositum est) neque sit per se peccatū ab actionibus ipsis iurandi distinctum, neq; sit alia occasio iurandi, quàm quę per solam cessationem amouebitur, non est ad sacramentum confessionis alia cautela necessaria, quàm propositum non iurandi, & fugiendi occasiones: puta contubernia & loca, quibus homo inducitur. Est tamen saluber rimū consiliū, per alias poenas & remedia cohibere se quemq;. Accipe ergo pie lector q̄lecūq; hoc nostrum obsequium, ad laudem & gloriam diuini nominis.

**F I N I S.**



SALMANTICAE.  
EXCVDEBAT ANDREAS  
DE PORTONARIIS  
ANNO.  
1551.



SALVAMANITICAE  
EXCVDE  
DE

